PREC

PIA

CA

Ex SS.PP. S

rum atq

pr

Opera HE

PP.
Jesuitae

Apud

ful

AVREA

PRECATIONVM

PIARVM ET DE-
VOTARVM

CATHENA,

FABRICATA

Ex SS. PP. & Illustr. tam Vet. quàm recent. piorum atq; Doctorum Authorum scriptis, pro omni hominum statu & conditione.

Opera HENRICI KYSPENNINGII.



COLONIAE.

Apud Petrum Henningum sub signo Cuniculi MDCXIII.

Ex ta[illegible]um Camald. C. M. in Insula Wigrensi ex Legato Fris Agathangeli.

NOBILI
ET AMPLISSIMO
VIRO, AC DOMINO, D.
IOANNI A Scharpffenstein/
Condicto Pfeil *huius liberæ, ac Imperialis Reip. Agrippinensis*
III *Consuli, Domino, &*
Patrono suo.

NOBILIS, Amplissime Domine. Venio oblatum Amplitudini Tuæ Thesaurũ quendam deuotionis, Thesaurum auro, & argento preciosiorem, neque enim ego maiores vllas æstimo diuitias, quàm eæ sunt, quæ in cõmertium inter Deum summum omniũ Monarchã cadunt & homines, cùm Viri Principes, si qui eorum negotiantur, non testaceis & missilibus

puerorum sphęrulis, nō ludicris, & iocularibus eorum annulis, sed auro, sed argento, & quę illis sunt chariora jaspide, adamante, cæterisq; gemmis mercari soleant, & distrahere. Causa, quæ Tuæ Amplitudini potiùs, quàm alijs hunc Thesaurum offerre me compulit, est, quod non ita pridem te hoc genere diuitiarum & affici, & vti cognouerim, &, quod magnum est in Amplit. Tuâ argumentum pietatis, aliâs mihi author fueris, dum in priuato colloquio de laboribus typographicis incideret mentio, vt hoc, aut simile quiddam in publicæ rei vsum adornarem. Accipiat ergo Amplitudo Tua animo, quod offertur, beneuolo, & oblatū munus, eiusq; precium, cùm ex vsu sui (ex vsu enim res omnes licitari solent,) cùm ex mei offerentis in eandem, vti decet, propenso affectu, pensitet. Coloniæ. Calen. Sept. Anno MDCXIII.

Nobiliß: Ampl. Tuæ.

Obsequentißimus.

Petrus Henningus.

CLARISSIMO INTEGERRIMOQVE VIRO, HENRICO A VVEZE,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI: illustrissimi Principis, ac Domini Clementiss. GVILIELMI, Ducis Cliuiæ, &c. Cancellario: Domino: Patronoque suo, HENR. KYSPENNINGIVS Venlonens. Eccles. Collegiatæ Xantensis Canonicus.

S. P. D.

F*REQVENS est querela, Vir clarissime, huius nostri sæculi, de calamitatibus & miserijs, quibus vniuersi sanè premitur, at verò causam, nemo, aut certè perpau i cõsiderant. Et quidem ea est ærumnarum magnitudo: vt non temerè doleamus. Adfligit nos Pestis sæuissima: & noua subinde Morborum genera, medicorum ingenia fatigant. Summa etiam rerum omnium caritas quotidie ingrauescit: non modò propter asperas illas hyemes, & maximas aquarũ exundationes, aut verius Diluuia, quæ incredibile*

vbique damnum dedere: sed quòd insatiabilis diuitum auaritia, & funestum hoc bellum quicquid pauperibus ad sustẽtationem reliqui est, abripiat & deuoret.

Hæc autẽ mala superant perniciosissimæ, vereq; deplorandæ Seditiones, tãquam ingens incendium subitò exortæ, ipsaque Rerumpub. penetralia latè peruagatæ: quæ adeò inualuerũt, vt magna animorum contentione populus furibundus ruere, & negotia sine mẽte, vt ferũtur magno impetu flumina, impellere: deniq; in sua ipsius districto mucrone viscera semet discerpere, ac interimere velle videatur. Hinc orta atrocia hæc ciuilia & intestina bella: quibus efferuentibus, omnia promiscuè vexari ac violari: nec vllũ omnino improbitatis, crudelitatis, & inhumanitatis genus prætermitti: ac vastitatem agris, flammam tectis, rapinam templis, direptionẽ vrbibus inferri, non sine lacrymis intuemur. Itaq; fit, vt dissidentibus nobis, Barbarisque admissis vndiq; & irruentibus: non augustissimi solùm IMPERII ROM. sed aliorum quoq; Regnorum, Prouinciarum, Vrbiumq; florentissimarum inclinationem atque ruinam, non iam futuram metuamus, sed præsentem oculis ipsis, prô dolor, conspiciamus.

Sunt hæ profectò calamitates magnæ & graues: atqui vitissim expendẽda sunt peccata, quibus iram Domini prouocauimus: tantasq; nobis pœnas accersiuimus: Etenim res ipsa loquitur, Mundũ totũ, si vnquam alias, hunc certè,

vt S. Ioã. ait, in maligno positum. Perijt Fides, à minore vsq; ad maiorem: omnes auaritiæ studënt: & à Propheta vsque ad Sacerdotem, cũcti faciunt dolum: Calumniam sustinent egeni: confringuntur pauperes & excoriantur. Nõ est Veritas, & non est Misericordia, & non est Scientia Dei in terra. Maledictũ, & mendaciũ, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerũt. Proinde mirum nõ est, si lugeat terra: & infirmetur omnis qui habitat in ea. Sic nanq; Propheticus sermo prænunciauit. Quapropter si præsentis æui impietatem, malignitatẽ, grauissimaque scelera contemplemur: omnino cum Propheta fateri cogemur: Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius.

1. Io. n. 5.
Hier. 6. 7. & 8.
Amos 4.
Mich. 3.
Osee. 4.
Thren. 3.

Vide autem diuinæ pietatis viscera. Pœnas cœlestibus plerumque Signis antè demõstrat: nimirum, lento gradu ad vindictam sui diuina procedens ira, ad vitæ emendationem hoc nos pacto curat adducere.

Quàm terribilia ab annis hinc aliquot Portenta in aere conspeximus? quàm horrẽdos sonitus audiuimus? Sed signa hæc, quamlibet portẽtosa, vel negligimus aut ridemus, vel in cõtrariam partem interpretamur. Quale illud est apud Iosephum supra Hierosolymam ante excidium sydus stetisse simile gladio. & per annum perseuerasse Cometen: & ad diem festũ Azymorum, noua hora nocturna, tantum lumen effulsisse, vt clarissimus dies putaretur.

De bello Iud. lib. 7 ca. 12.

At verò Iudæi, inquit, signorū quędā pro sua libidine interpretati sunt: alia contempserunt, donec patriæ excidio suaq; pernicie, eorū iniquitas cōfutata est. Sapienter autē & piè Ludouicus ille Pius, Caroli Magni F. dum ad Cometæ conspectū quidā Prophetæ testimoniū protulisset: A signis cœli ne timueritis, quæ pauent gentes. Non alium, inquit, timere debemus, præter illum, qui nostri & huius creator est syderis: sed eius clementiā nō satis admirari & laudare possumus: qui nostram inertiam; cùm simus peccatores & impœnitentes, talibus dignatur admonere indicijs. Sic ille. Nec nos aliam ob causam, Cometam illum, qui mense Nou. An. 1577. exort9 est, apparuisse credem9.

Hiere. 10. Annonius de Gestis Franc. li. 5 cap. 17.

Itaq; non pœna peccati, quæ sunt calamitates & afflictiones, sed ipsum peccatum cu pādum est, & detestādum: ac de melioris vitæ studio cogitandum: deinde iustum Dei iudicium considerandum & celebrandum: & in animo cōtrito culpa agnoscenda est: & pœna deprecanda: sicut in Hiere. dicitur: Scrutemur vias nostras, & queramus: & reuertamur ad Dominū. Leuemus corda nostra cū manibus ad Dominū in cœlos. Sic Azarias ille apud Danielē, ait: Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis. In veritate & in iudicio induxisti omnia hæc, propter peccata nostra. Et nūc sequimur te in toto corde, & timemus te & quærimus faciem tuam. Ne cōfundas nos. Et Mauritius Imperator, Anno 603. cū per auaritiā

Thren. 3.

Dan. 3.

Nicep. li 18. ca. 40. Paul. Diac Abba. Vrsperg.

multa indigna admisisset, scelerũ suorũ pœnas in hoc sæculo, vt ipse orauit, exoluens, filijs ac filiabus, etiã cõiuge sanctissima in cõspectu eius trucidatis ipse quoq; paulò post à Phoca *obtrũcandus, crebro pronunciauit hæc Ps. 118. verba:* Iustus es Domine: & rectũ iudicium tuũ.

Atqui nos, quod vehementer dolendũ est, in sũmis hisce calamitatibus multò acerbissimis, quibus adfligimur, dũ cœlũ ipsum, dũ elementa cũcta, & omnis propè creatura nos premit: nõ cogitamus de emẽdanda vita: nec Deũ quærimus stultè alij sed alios incusamus, speramus in vmbra Aegypti, hoc est, mundi præsidio: quo nihil est inanius. Imò autẽ, percussi adeò nõ dolemus, vt, quod euidẽter apparet indurasse facies, ac nolle reuerti: quin potius cõtra petulãtius niti videamur. Sicut in Esa. dicitur. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletũ & planctũ, ad caluitiũ & ad cingulũ sacci: & ecce gaudiũ & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinũ. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et rursum: Venite sumamus vinũ, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie sic & cras: & multò amplius. Proinde rectè nos quidem, tanquam in pristino molere ac feriri dixit peiores quotidie ac nequiores. Quid igitur expectandum nobis, nisi vt duplici contritione conteramur: hoc est, præsentes ac sempiternas pœnas luamus.

Esa. 30. *Hier. 5.* *Esa. 22.* *Esa. 56.* *Hier. 17.*

Igitur expergiſcamur tandē: redeamus præuaricatores ad cor, & agamus pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus noſtris: conuerſi autē deprecemur Dominum, dicētes: Peccauimus, iniq; egimus, impiè geſſimus. *Cōſtat enim, non eſſe expeditiorē viam, ad flectendum Dominum iratum, quàm ſeriam conuerſionem: & ardentes humileſque ad Deum preces. Ita nāque Dominus ipſe loquitur: Si clauſero cœlū, & pluuia non fluxerit: & mandauero locuſtæ, vt deuoret terram: & miſero peſtilentiā in populū meum: conuerſus autem populus meus deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. Et in Hierem. dicit: Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo quod locutus ſum aduerſus eam: agā & ego pœnitētiā ſuper malo, quod cogitaui vt facerē ei.*

Esa. 46. Ezech. 28 3. Reg 8. Ibidem. Hier. 18.

Probatur hoc inſigni Niniuitarum exemplo: qui ad prædicationem Ionæ (adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur) prædicauerūt ieiuniū & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſq; ad minorem: & conuerſi ſunt à via ſua mala: & ab iniquitate, quæ erat in manibus eorū. Et vidit Deus opera eorum, qua conuerſi ſunt à via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis & non fecit.

Ionæ 3. Matt. 12.

Ideò pius ille Ioſaphat *Rex, Cū ignoremus, inquit, quid agere debeamus: hoc ſolū habemus residui, vt oculos noſtros dirigam⁹ ad te. Vnde.*

2. Par. 20.

cùm

cũ cõgregati essent filij Moab & Ammõ aduersus ipsum, timore perterritus, totũ se cõtulit ad rogandũ Dominũ: & prædicauit ieiunium vniuerso Iudæ. Congregatusq; est Iudas ad deprecandũ Dominũ cũ vxoribus & liberis suis: & in semetipsos versi hostes mutuis cõcidere vulneribus In hac Exempla intuentes filij Israel, Holoferne ferociente, ac terrã omnem deuastãte: cùm valde timerent, clamauerunt ad Dominũ instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus. Cumq; vnanimes Preces suas Domino effudissent: in nihilũ redacti sunt eorum inimici. Quorũ vestigia secuti maiores nostri, nihil prius habuerunt, quã vt in afflictionibus & magnis periculis, serio conuersi, ardentes ad Deum preces emitterent: quos nos imitari oportuit. Certè ipsa periculi magnitudo satis nos admonet: vt negotio huic, tam pio tamq; salutari, sedulò incumbamus.

Iudith 6.13

Quamobrem, ego, vt meipsum ad orationem excitarem, hanc Christianarum precationum congeriem mihi composui, quam eò lubentius cùm alijs communicare volui, quòd amici quibus propter eximiam pietatem & eruditionẽ, & ardentissimum in Rempublicam Christianam amorem meritò confido, ita iudicassent: & de ijs syncerè ac seuerè censuissent.

Neque verò cogitaui hoc pacto, alios Precũ libellos è piorũ manibus excutere: sed quia trahit, vt dicitur, sua quẽq; voluptas, & alij alijs delectantur: hoc duntaxat conatus sum, vt hac

precationũ sylua, aliquanto fortasse cõmodiore & locupletiore, aliquam præberem ad orandũ occasionẽ. Quare etiã plures eadem de re precãdi formulas adtuli: nimirũ propter ingeniorũ varietatẽ, ne non quamlibet etiam fastidiosus haberet, quod ipse legeret. Admiscui subinde ex S. Scriptura, & orthodoxis Patribus salutares admonitiones: vt veris adoratoribus simul suppeteret, quo Deũ orarẽt, & vitã piè instituerẽt. Quidquid autẽ huius est laboris, tibi Vir clarißime, dicare volui cupiebã enim amicißimæ tuæ erga me voluntati, summæq. beneuolẽtiæ, quà possem, gratificari: & insignem illam tuã humanitatem pietatem & æquitatem: cæterasque animi tui integri ac probi præclarißimas virtutes, quib. vniuersos tibi mirificè deuincis: tametsi per se satis vbiq. cognitas, publico testimonio cõmendare: & obseruantiã erga te meã, hoc nomine declarare. Quem equidem affectum in te meum, tibi non ingratum fore confido. Oro Deũ Opt. Max. vt tuam pietatem, in hac tristißima rerũ omnium cõfusione benignè custodiat: consiliaq; tua, & actiones omnes, ad suã gloriam, & Reipubl salutẽ gubernet. Vale, Xãti. Veteribus olim Romanorũ castris ex magnæ fundationis Collegio D. Victori & cõmilitonibus, Christi Iesu martyribus, sacro. III. Kal. Iul. An cIↄ.Iↄ.LXXIX. Quo Anno & die.

TraIeCtI naDVCI pãDIt PetrVs osti Iapar, Mæ AC PaVLVS rIgIdo CorrIpIt ense neCans.

DE RECTE ORANDI RATIONE: ET ANIMI AD ORATIONEM PRAEPARATIONE, COMMENTARIOLVS.

Oratio quid: & quàm frequens esse debeat.

CAPVT. I.

ORATIO, siue PRECATIO est, pia mentis in DEVM Eleuatio, & quasi cum DEO colloquium: quæ bona sunt, precantis, & quæ mala, deprecantis. Est autem *Vocalis & Mentalis*. Neq; enim consistit in solo verborum strepitu: sed vehementi cordis affectu, gementis ad Deum & suspirantis: sicut exempla docent. Nam ad Mosem dicit Do-

Exod. 14. minus. *Quid clamas ad me?* cùm nihil legamus eum locutum. Et de Anna matre Samuelis, S. Scriptura cõmemorat: 1. Reg. 1. *Loquebatur in corde suo:* tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Matth. 9. Mulier quoque quæ sanguinis fluxũ patiebatur, *dicebat intra se: si tetigero tantùm vestimentum eius: salua ero.* 1. Cor. 14. Propterea S. Paulus dixit: *Orabo spiritu: orabo & mente.*

Nec tamen audiendi sunt, qui sic loquuntur: Si Deus quid oremus nouit: & antequam petamus, scit quibus indigeamus: frustra scienti loquimur. Respondet D. Hieronymus: Comment. in cap. 6. Matth. non esse nos Narratores, sed Rogatores: & aliud esse, narrare ignoranti, aliud scientem petere.

Prodest sanè multũ, vocalis, quam vocant, Oratio: tum, vt animum in Oratione languentem seu torpẽtem excitemus, tum, vt proximum ædificemus, & ad simile opus prouocemus: atqui inanem existimabimus omnem labiorum motum, cui cordis non adstipulatur affectus. Sicut in Esaia dicitur: Esa. 29. *Appropinquat*

populus iste ore suo, & labijs glorificat me: cor autem longè est à me. Vide Matth.ca.6.& 15.

Semper autem Orationi coniuncta esse debet GRATIARVM ACTIO: vt præsentiam Dei & auxilium, cum externa voce fieri nequit, mente saltem agnoscamus & profiteamur: eiusque Beneficia celebremus. Ad quam nos inflammare debent, immensa DEI erga nos Bonitas & Misericordia: quæ causa sunt, vt quotidie eius Beneficia spiritualia & corporalia sentiamus. Condidit nos ad imaginē & similitudinem suā: redemit perditos per vnigeniti filij sui mortem: & animas nostras Diuini verbi pabulo pascit: donat peccatorum Remissionem, & vitæ æternę hæreditatē. Corpori verò nostro de cibo potuque ac vestimentis prouidet: & omnia denique ad vitæ sustentationem necessaria benignè suppeditat. Ad hęc, seruat nos in periculis: defendit familiam: & fęlices successus in administratione Politica & Oeconomica tribuit. Proinde cū sine intermissione fruamur

Dei beneficijs amplissimis: æquum est, vt sine cessatione Dei bonitatem celebremus: & gratitudinẽ pro tanta beneficentia iugiter declaremus. Hinc S. Paul. ad Philippens. scribit, *Dominus prope est. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Et ad Colossenses: *Orationi instate: vigilantes in ea, in gratiarum actione.* De hac infra, Cap. 9. plura.

Phil. 4.

Coloss. 4.

Quam frequens autem nobis esse debeat oratio, ipsa naturæ nostræ imbecillitas docet: in qua nihil est facilius, quàm decipi, errare & labi. Hanc intelligens filius Dei D. N. Iesus Christus, magno animi motu, ter repetitam adhortationem ad vigilantiam & orationem inculcat, dicens: *Vigilate & orate: vt non intretis in tentationem.* Sunt magni & sancti viri, vt Lot, Aaron, Dauid, Petrus & alij, qui tamen turpiter lapsi sunt: quorum exempla nos ad frequentes & feruidas orationes prouocare debent: vt ijs Dei gratiam adepti, aduersus tentationum procellas per-

Matth. 26.

sistamus,

sistamus, nec corruamus.

Huc furor diaboli accedit: qui cũ Princeps sit huius mundi, nõ leuem eius arbitrabimur potentiam. Vide insignem locum Ephes. 6. In Apoc. quoque Ioannis dicitur: *Væ terra & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* Christus in Euangelio Lucæ: *Simon*, inquit, *Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sic & Petrus ipse ait: *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærẽs quem deuoret.* Cùm itaque nos tam imbecilles simus: & sceleratissimi spiritus continenter obseruent, si quem abripere possint: ideo nos assiduè deprecatione communiemus: nam, vt ait Chrysostom. ilicò resiliunt nõ aliter quam prædones, & facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium vibrari.

Ioan. 24.

Apoc. 12.

Luc. 22.

1. Pet 5

Chrys li. 1. de orand. Deum.

Nec minus nos monere debet ingens periculorum & miseriarũ moles: vt Hæreses, Bella, Seditiones, Pestes, Fames & alię calamitates: peri-

cuia animæ, famæ, valetudinis, rei familiaris: deniq; multiplex Ecclesiæ & Reipub. Christianæ necessitas. In his verò non habemus vllum vel tutius vel firmius præsidium, quàm piam orationem.

Iam dicēdum de ijs, quæ in oratione necessaria sunt, vt sit apud Deum efficax: quorum principem locum obtinet Fides.

DE FIDE, IN ORATIONE CVM *primis necessaria.*

CAPVT II.

Theoph. in Luc. cap 18. Matth. 9.

ORationis fundamentū ac basis, est Fides. Proinde, qui orare volet vt exaudiatur, is magna fide oret, necesse est. Saluator noster apud Matthæū, rogatus à cæcis, vt visum ipsis redderet: *Creditis*, inquit, *quia hoc possū facere vobis?* Rursum in Euangel. Marci, cùm quidam his verbis eum deprecaretur: *si quid potes, adiuua nos, misertus nostri*: ait; *Si potes credere: omnia possibilia sunt credenti.* Sic alias etiam dicit: Omnia quæ petieritis in oratione credentes, accipietis. Et D. Iacobus, in ora-

Mar. 9.

Matth. 21. Iaco. 1.

tione,

tione, cum primis Fide opus esse, tã clarè docet, vt nõ potuerit clarius. *Si quis*, inquit, *indiget Sapientia, postulet à Deo, &c. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.*

Porrò Fidei fundamentum, est Dei Promissio, qua nos ad orandum inuitat: quæ facit, vt non sit fluctuans oratio, & incerta, sed firma & indubitata; vtpote, spe promissionis suffulta: atq; in eum tanquam scopum collimata, qui fidelis est in omnibus verbis suis: & potens est facere omnia abũdantius & cumulatius, quàm petimus aut intelligimus. Sic autem habet scriptura S.

Psal. 144. Ephes 3.

Inuoca me in die tribulationis: eruã te & honorificabis me. Psal 49.

Clamauit ad me, & exaudiam eũ, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Psal. 90.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos. Psal. 144

Eritque, antequam clament, ego Esaiæ. 65.

exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et Christi Iesu D. N. extant in S. Euangelio syngraphæ: in hanc sententiam.

Matth. 18. *Dico vobis: quia si duo ex vobis cõsenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

Luc. 11. *Petite: & dabitur vobis.*

Ioan. 14. *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

Ioan. 15. *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.*

Ioan. 16. *Amen amen dico vobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo: dabit vobis.*

His perspicuis de Promissione diuina testimonijs, ea concipitur animo fiducia, vt iã mens quiescat, fulcita tãquam ancora, diuinis verbis: nec amplius huc illucque fluctuet, sed iam nõ modò credat Deum posse & velle præstare, quod iuxta ipsius voluntatem petitur: verumetiã certo expectet promissam Dei gratiã

eamq; quodãmodo sibi vendicet: vt quanquam euentus aliquando differatur, & protrahatur opitulatio: tamen de Dei voluntate erga nos nihil omnino hæsitet.

Inuenias autem permultos, qui in spem nihilominus assurgere nequeunt, qua quod petunt, cum fiducia expectent. Et plerisq; quidem id euenit, quia non ex animo se auertunt à peccato: plerisque verò, quia non exercent se seriò cogitationibus fidei. Et quidem qui non conuertũtur ex toto corde ab iniquitatibus suis, non exaudiuntur: quòd ille peccãdi affectus, tãquam nubes obsistat, quominus ad Deum transeat oratio. Huc faciunt quæ Esaiæ 1. & 59. item Thrẽ. 3. & Ioan. 9. cap. leguntur. Qui autem agnoscunt, in quibus sint malis, atque ab his liberari cupiunt, ideoque Deum toto pectore orant: tantùm abest, vt repellantur, vt etiã à Christo suauissimis verbis inuitentur. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.*

Ad Sasb. Hom. Domin. 2. Quadra.

Tren. 1.

Matth. 11.

Nec desunt exempla. Publicanus,

Luc 18.

Luc 7.
Luc. 23.
4 Reg. 21.

quod petiuit, obtinuit: Magdalena, quod quæsiuit, inuenit: Latroni pulsanti, Paradisus aperta est. Ac de Manasse Rege Iuda legimus, quod effuderit tantum sanguinis innocentis, vt impleret Hierusalem vsq; ad os: vt cætera omittam peccata, quæ maxima fuerunt. Atqui hic tantus peccator, cùm in Babylone captiuus teneretur, tanta fiducia orauit: vt gratiam Dei sibi plane vendicaret. Orationē eius infra descripsimus: in qua hæc leguntur verba: *Indignum saluabis me, secūdum magnā misericordiā tuam.* Quid est gratiam Dei sibi vendicare, si non hoc est? Et vnde huic fiducia hęc? Certè ex consideratione Promissionis diuinæ: id indicat Orationis ipsius contextus, *Tu*, inquit, *secundū bonitatem tuā Domine, promisisti pœnitētibus remissionē peccatorū.* Hac Promissione inuitatus, flecto genua cordis mei: facio quod requirit Promissio: quare indignum me saluabis secundum magnam misericordiam: id est, secundum bonitatē, quā misericorditer promisisti pęnitentibus remissionem peccatorum.

Hæc

Hæc exépla intueamur: & diligenter attẽdamus Promissiones diuinas: atq; in ij mentẽ seriò exerceamus, vt cõcipiamus fiduciã: quippe, cui totum orãdi negotiũ inniti oportet.

Porrò fit hæc multò in nobis cõfirmatior, si penitius Dei naturam cõtemplari non cessemus. Etenim infinitæ est Bonitatis, & immensæ Dilectionis; eoque fit, vt facile miserijs nostris tangatur: nec vnquã animus hominis tam auidus sit ad accipiendum, quin ille multò sit auidior ad dandũ. Ioan. 16. *Ipse pater amat vos: quia vos me amastis.* Ex hoc pietatis sinu, tam amabilis profluxit Exhortatio ad se inuocandum. *Inuoca me*, ait, *in die tribulationis: eruam te & honorificabis me.* Ac si ad vnumquenque nostrũ alijs verbis loqueretur, dicẽs: Si quid te angit, mi fili, si luctaris cum varijs incõmodis & difficultatibus, age, ad me confugias: à me pete consilium & auxilium, veramque consolationem: ego te lubens exaudiam, te mirabiliter eruam: & dabis honorem nomini meo, vt ego glorificer in te.

Io. Taulerus.

Psal. 49.

DE HVMILITATE, IN ORAtione, post Fidem maximè necessaria

CAPVT III.

ET Humilitas, qua nostram imbecillitatem & miseriam, atque etiam indignitatem agnoscamus, in Oratione, post fidem maximè est necessaria. Est enim virtus hæc Deo gratissima.

Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Eccl. 35. *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.*

Iudith. 8. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

Ad. Sasb. Homil. Domi 2. Quadra. Itaque statuenda ante oculos, miseria, paupertas & nuditas nostra: nec collocanda exauditionis spes in vitæ innocentia aut meritorum fiducia: sed in sola Dei misericordia.

Dan. 9. Sic Daniel: *Non in iustificationibus,* inquit, *nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac. Ne moreris propter temetipsum Deus*

meus Vides S. Prophetam, non ſua nitentem iuſtitia, aut populi: ſed ſola Dei miſericordia: quare & exauditus eſt. Qui aliter orant, hoc eſt, qui in ſua confidunt iuſtitia: reijciũtur à Deo. Cuius rei pulcherrima pictura eſt apud Lucã. *Duo homines*, inquit Chriſtus, *aſcendebant in templum vt orarent: vnus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat. Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poßideo. Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Hæc amborum fuit Oratio: ſententiam autem fert Saluator noſter. Dico autem vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo, id eſt, præ illo.

Luc. 18

Sit hæc parabola in conſpectu noſtro: & in Oratione agnoſcamus nos peccatores: humiliemur in conſpectu Domini, vt nos oculis miſericordiæ ſuæ adſpiciat, & exaudiat: nam

Psal.101. *respicit in Orationem humilium, & non spernit precem eorum.*

Viciſſim quoque cogitanda, tanti principis, quem adoramus, Maieſtas: & conferẽda cum noſtra humilitate. Omnino namque oportet nos Orationis tempore, curiã intrare cæleſtem: illam vtique curiam, in qua Rex regũ ſtellato ſedet ſolio, circundãte innumerabili, & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu. Vnde & ipſe qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit: *Millia*, ait, *millium miniſtrabãt ei: & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Quanta ergo cum reuerentia, quãto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens & repẽs ranuncula vilis? Quàm tremebũdus, quàm ſupplex, quàm denique humilis & ſolicitus, & toto intẽtus animo Maieſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in concilio Iuſtorum & congregatione aſſiſtat oportebit miſer homuncio? In cunctis igitur actionibus noſtris multa opus eſt animi vigilantia: ſed præcipuè in Oratione. Porrò quamuis vbique ſit Deus, in

Bern. de quatuor modis orandi.

Dan. 7.

cœlo tamen orandus eſt, ibiq; Orationis tempore cogitandus: vt mens noſtra non in oratorij tecto, non aeris ſpacio, non ipſa nubium retardetur denſitate: iuxta eam formã, quæ nobis à Chriſto tradita eſt, vbi ait: Sic orabitis *Pater noſter, qui es in cœlis.* Sic igitur oret, qui orat, tanquam aſſumptus & præſentatus ei, qui ſedet ſuper thronum excelſum & eleuatum. Sic, inquam, ſemetipſum cõſideret, & ſic attendat, tanquam pręſentatum Domino maieſtatis: vt dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis.*

Matth. 6.

Gen. 18.

Fide ergo opus eſt in Oratione, vt feruenti & firma, ita etiam minimè fucata, ſuperba & inflata: ſed cũ ſumma Humilitate coniuncta. Huc accedat, neceſſe eſt, Perſeuerantia.

DE PERSEVERANTIA in Oratione.

CAPVT. IV.

IN Fide autem & Humilitate orãtes, PERSEVERARE oportet. Id Chriſtus dilucidè docet ſimilitudine

dine amici noctu venientis, & panes petentis. Luc. 11. Et insigne est Exemplum in Chananæa.

Matth. 15.

Certè nullum nos tempus, nullum locum, aut modum Deo statuere oportet: sed omnia committere voluntati & sapientiæ eius: certos, fore quæ petimus, etiam si nulla ratio, qua fiant, appareat. Ideo Iudith pia mulier, cùm intellexisset ciues Bethuliæ, nisi Deus intra quinque dies opem ferret, ciuitatem hosti aperire decreuisse: grauiter eos reprehendit, dicens: *Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet: sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.*

Iudith. 8.

Differt sępè Deus auxilium, & voluntatem suam dissimulat, vt fides nostra exerceatur: sed cum omnia videntur deplorata, tunc plerunque succurrit.

Exod. 2.

Israelitæ cùm in Aegypto dura seruitute premerentur, petunt liberationem: sed ea protrahitur in multos annos: & interea seruitus crescit

in dies. Poterant putare inanes esse gemitus: sed tandem euentus respõdit. Imò cùm iam liberarentur, deduxit illos Deus in summas angustias: à fronte enim mare, & à tergo vniuersus Pharaonis exercitus erat. Atqui diuisa est aqua: fuitque quasi murus à dexterà eorum & sinistra: & transierunt per medium sicci maris.

Non ergo desinemus, Deum assiduis precibus interpellare: nec frãgemur mora & impedimentis, quæ obstrepunt: sed constantes erimus & perseuerantes: nihil dubitantes nos impetraturos.

Improbitas in rogando & importunitas, est ingrata apud homines, sed Deus vult petaces Oratores: & lætatur importunitate eorum, qui instant orando & vrgēt, nec cessant indesinenter orare. Ideo Apostolus Paulus, *sine intermissione*, inquit, *orate* Et exemplum viduæ proponit Christus: quæ improbitate & importunitate sua fatigat iudicem: & impetrat quod petit. *Si illa*, inquit, *instantia improba tandem iudicem*

1. Thes. 5.

Luc. 18.

iniquum mouet, vt ius dicat: quid putatis Patrem cœlestem facturum, qui bonus est & misericors: & vult vt ad eum confugiamus? Huic exemplo adiungit Christus hanc sententiam: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.*

DE ATTENTIONE in orando.

CAPVT V.

SVmmo etiã Affectu, & maxima in orando opus est Attentione. Non enim vult Deus preces frigidas, ac summis dũtaxat labijs prolatas: sed ex corde depromptas. Quã hac in repeccetur sæpe ac variè, vniuscuiusque Conscientia dicet. Fit hoc: quia non attendimus ad magnitudinẽ eius, cui supplicamus. Et quidẽ dum terreno Regi adstamus aut Principi: & vocis, & totius denique corporis compositione, reuerẽtiam exhibere curamus: omniq́ue studio in hoc incumbimus, ne quid aliter, quàm oportet, proferamus: quantò id diligentius præstandum corã Domino Deo, qui nos finxit: cuius Maie-

Psal 75.

ſtas immenſa: qui cæterorum aufert Spiritũ principũ? Nam Oratio, cum DEO eſt Colloquutio. Itaque in eum oportet mentis noſtræ oculũ eſſe intentiſſimum: non aliter, quàm oculum iaculãtis in album, vt collimet. Idcirco D. N. Ieſus Chriſtus præcepit, vt cùm ad tam ſacrũ colloquiũ accingimur, ſecedamus in penitiſſimum mẽtis ſilentium: ibique ſolum DEUM votorum conſcium cogitemus ac rogemus.

Matth. 6.

Quando ergo ſtamus ad orationẽ, vigilare & incũbere ad preces toto corpore debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat: nec quidquã tunc animus, quàm id ſolũ cogitet, quod precatur. Ideo Sacerdos ante orationem, præfatione pręmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo: SVRSVM CORDA, vt, dũ plebs reſpondet: HABEMVS AD DOMINVM, admoneatur, nihil aliud, quã DOMINŨ, cogitare debere. Quæ autem ſegnities eſt, alienari & capi ineptis cogitationib. & prophanis, cũ DEŨ deprecaris? quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod

Cyprian. Serm. 6. Oration. Dominic.

cum Deo loquaris. Quomodo te audiri à Deo postulas, cum teipse non audis? Vis Deum esse memorem tui cùm rogas, quando ipse tui memor non sis? Quapropter solicitè & cautè Apostolus admonet, dicens: *Instate Orationi, vigilantes in ea*: docens scilicet & ostendens, eos impetrare quod postulant à Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare.

Aduersus Luciferia.

DE VERA ET EVANGELICA Fide, & affectuosißima in Oratione attentione, D. Hieronymi sententia.

CAPVT VI.

Matth. 9.

DIcebat mulier illa, quæ per 12. annos fluxu sanguinis tabescebat in corde suo: *Si tetigero vestimentum eius tantùm, salua fiam.* Hæc est fides, quæ etiam apud eos qui bene credunt, difficile perfecta inuenitur. *Fiat tibi*, inquit Deus, *secundum fidem tuam.* Hanc ego vocem audire nolo. Si enim secũdum fidem meam fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum Patrem, cre-

do in

do in Deum Filium, credo in Deum S.S. Credo in vnum Deum: & tamen secundum fidem meam nolo mihi fieri. Sæpe quippe venit inimicus homo, & inter Dominicam messem zizania interserit. Nec hoc dico, quod maius quidquam sit, quàm Sacramenti fides, quàm puritas animę: sed indubitata ad Deum fides arduè reperitur. Verbi gratia dictum sit, vt quod volumus perspicuum fiat: ad orationem assisto: non orarem, si non crederem, sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ante Domini mei pedes, osque fletu perfunderem, crine tergerem: hęrerem certè trunco crucis, nec priùs amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in Oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiã quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides? Siccine putamus orasse Ionam? Sic tres pueros? Sic Danielẽ

Matth. 13.

Luc. 7.

Ionæ 2.

Dan. 3.

Dan 14.

Luc 23.

inter leones? sic certè Latronem in cruce? *Hæc Hieronymus.*

SALVTARIA ANIMAE petenda.

CAPVT VII.

SAepenumero fit, vt sedulò, maximaq; fide, humilitate & attẽtione oremus, & tamen non exaudiamur: nẽpe, petimus animæ nostræ perniciosa. Ea namq; petere oportet, quæ petenda sunt: talia nimirum, quæ & dare Deum deceat, & accipere animæ nostræ expediat.

Quare obseruandum est, duplicia esse Beneficia seu bona, quæ à Deo peti possunt & debent: quorum quędam sunt spiritualia & cęlestia, quędã corporalia & terrena. Spiritualium & cœlestium bonorum præcipuum est, Summum illud bonum: nempe, Status ille bonorum omniũ aggregatione perfectus, quẽ æternã Beatitudinem dicimus. Is cõsistit in fruitione gloriæ Dei: sicut scriptum est. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Sũt alia bona spiritualia itidem

Psal. 16.

& cœ-

& cœlestia: vt est, Agnitio Dei, iuxta illud: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Item, Fides, Spes, Charitas: & reliquæ virtutes Deo gratæ. Hæc quoque bona instanter petere debemus. Corporalia & terrena bona sunt: sanitas corporis, liberatio è periculis, alimenta, trãquillus rerũ status, & id genus alia: quæ & ipsa licitè peti possunt, non tamen sine conditione. Nã quia magis quandoque obsunt quàm prosunt, hactenus sunt petenda: si saluti nostræ, proximique conducant: &, quod præcipuè spectari debet, Dei gloriam illustrent.

Ioan. 17.

Proinde, quia nos hac in re vehementer cæcutimus: & reuera quid oremus, sicut oportet, nescimus: semper in oratione retinenda sunt Christi Iesu verba, *Fiat volũtas tua.* Item: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Cuius etiam rei insigne extat exemplum in Leproso: *Domine*, inquit, *Si vis, potes me mundare.* Certè nos ea sæpè petimus, quæ si præstaret Deus, præsens essét allatura salu-

Rom. 8.

Matth. 6.

Matth. 26.

Matth 8.

tis dispendium : quo fit vt nos non exaudiat Deus ad nostram voluntatem: nimirum, vt exaudiat ad salutem. Sæpe pueri ex inscitia à parentibus res noxias, vt cultrum, & alias similes, lacrymis & clamoribus petunt: quibus tamen moueri se non patiuntur parẽtes: Ita Deus, qui nos vehementiori amore, quàm pater filium, complectitur: imò ardentius nos diligit, quàm ipsi nos diligimus: diuina sua sapientia saluti nostræ cõsulit, in denegatione earum rerũ, quas perniciosas nobis stultè flagitamus: & sua misericordia, paternóque affectu mouetur & impellitur, vt illud tantùm largiatur, quod nobis vtile esse nouit. Quin & Medicus non concedit ęgroto omnia quę postulat: sed sanitati eius consulens, etiam amaros haustus addit: Ita Deus, non voluntatis, sed æternæ salutis nostræ rationem habet. Cùm autem in morborum curationem Medicum adhibentes, hanc ei sciẽtiam tribuimus, quòd melius sciat, quid ægro corpori cõueniat, quã ipsi sciamus: cur Deo, soli sapienti, hanc scientiã

non

non tribuimus, quòd melius, quàm nos, sciat, quid nobis sit vtile? Ad hunc modum Apostolo Paulo oranti, vt auferretur stimulus carnis eius, negatum est; & audit, *Virtus in infirmitate perficitur.*

2. Cor. 12.

Proinde verè scripsit D. Ioannes: *Hæc est fiducia, quam habemus apud Deum: quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.*

1. Ioan. 5.

Est insignis hac de re D. Bernardi sententia: quam nõ grauabor adscribere. Petitiones, inquit, cordis, in tribus credo constare. nec video, quid præter illa electus quisque sibi debeat postulare. Duo quidem huius sunt temporis, id est, bona corporis & animæ: tertium verò, Beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quòd bona corporis à Deo dixerim esse quærenda: quoniam eius sunt corporalia omnia, sicut spiritualia etiam omnia bona. Ab eo ergo petẽdum & sperandum nobis est, vnde possimus in eius seruitio sustentari. Veruntamẽ pro necessitatibus ani-

De triplici modo orationis. Ser 5. in Quadr.

mæ orandum nobis eſt, & frequen-
tius & feruentius: id eſt, pro obti-
nenda gratia Dei, animæq; virtuti-
bus. Sic & pro vita æterna, tota pie-
tate, & toto nobis orandum eſt deſi-
derio: vbi nimirum corporis & ani-
mæ plena eſt & perfecta Beatitudo.
In his ergo tribus, & cordis petio-
nes ſint, tria nobis ſunt cõſideranda.
Nam & in prima quidẽ ſuperfluitas:
& in ſecunda impuritas: & elatió
iterdum obrepere ſolet in tertia.
Nonnunquam enim tẽporalia quæ-
ri ſolent ad voluptatem: virtutes ad
oſtentationem. Sed & vitam æter-
nam fortaſſe aliqui non in humilita-
te quærunt: ſed tanquam in fiducia
ſuorum meritorum. Nec hoc dico,
quin accepta gratia fiduciam donet
orandi: ſed non oportet, vt in ea con-
ſtituat quiſquam fiduciam impetrã-
di. Hoc ſolùm cõferunt hæc pręmiſ-
ſa dona, vt ab ea miſericordia, quæ
tribuit hæc, ſperẽtur etiã ampliora.
Sit ergo Oratio, quæ pro tẽporalib.
eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta:
ſit Oratio, quæ pro virtutib. eſt ani-
mæ, etiam ab omni impuritate libe-

ra, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta: ſit ea, quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate: præſumens de ſola miſeratione diuina.

QVANTA SIT ORATIONIS Virtus & Efficacia apud Deum.

CAPVT VIII.

VNicum ſemper præſidiũ pijs, in ſummis periculis, fuit Oratio. Ideo pius ille Rex Ioſaphat dicebat, *In nobis quidem, Deus noſter, non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos: ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* 2. Par. 20.

Certè quàm ſit efficax apud Deũ Oratio, ſatis declarat inſignis ille locus Exod. 14. *Pugnauit enim Ioſue cõtra Amalech. Cumq; leuaret Moſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Deiecit ergo Moſes Amalech, non ferro pugnãdo, ſed precibus ſanctis orando.* Iudith. 4.

Exod. 32. Rursum *Peccauit populus Israel, peccatum grande: & ait Dominus ad Mosen: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Moses autem orabat Dominum: & placatus est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.*

Num. 21. *Orat Moses pro populo: & liberantur à serpentibus ignitis.*

1. Paral. 5. *Dimicant filij Ruben & Gad, contra Agarenos: traditiq; sunt in manus eorum Agareni, & vniuersi qui fuerant cum eis, animæ hominum C M. quia Deum inuocauerunt cum præliarentur: & exaudiuit eos, eò quod credidissent in eum.*

2. Reg. 24. *Percutitur populus pestilentia: orat autem Dauid, & propitiatus est terræ Dominus, & cohibita est plaga ab Israel.* Idem quàm assiduus & ardẽs in precatione fuerit: ostendunt Psalmi ipsius. Qui, tametsi regni negotijs occupatus, tamen septies in die laudem dixit Domino. quid ergo nos facere oportet, maximè Clericos: qui ad hoc negotij stipendia Ecclesiastica accipimus?

Psal. 118.

Asa

Asa Rex fecit quod bonum & placitũ erat in conspectu Dei. Et præcepit Iudæ vt quæreret Dominũ Deũ patrũ suorum: & nulla temporibus eius bella surrexerant, Pacem Domino largiente. Habuit Asa in exercitu suo, de Iuda trecenta millia: de Beniamin verò ducenta octoginta millia. Egressus est autem contra eos Zara Aethiops cum exercitu suo, decies centena millia, & curribus trecentis. Et inuocauit Asa Dominum Deum, & ait: Domine, non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim & in nomine tuo habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus tu es: non præualeat contra te homo. Et ruerunt Aethiopes, vsq; ad internecionem: quia Domino cadente contriti sunt.

2. Par. 14.

Congregati sunt filij Moab & Ammon, & cum eis de Ammonitis vt pugnarent cum Iosaphat. Ipse autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum: & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda: & omnes de

2. Para 20.

vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum, cum paruulis, & vxoribus, & liberis suis. Vertit ergo Dominus insidias hostium in semetipsos, filiorũ scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant, vt pugnarẽt contra Iudam, & percussi sunt: nam in semetipsos versi, mutuis cõcidere vulneribus.

4 *Reg.* 19.

Deprecatus est Ezechias Dominũ super Sennacherib Rege Assyriorũ, & auditus est: percussit Angelus Domini in castris Assyriorũ CLXXXV. M. Rursum cum ægrotasset & audiuisset ab Esaia: Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues: conuertit faciem suam ad parietẽ, & orauit Dominum. Audiuit autem orationem eius Dominus, & sanauit eũ: addiditque diebus eius quindecim annos.

4 *Reg.* 20. *Esa* 38. 2. *Paral* 33

Princeps exercitus Regis Assyriorum cepit Manassen R. & vinctũ catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Depreca-

tusq́ue est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitq́ue eum in regnum suum.

Niniuitæ publicarum precum tẽpus indicunt: & sua pœnitentia ac precibus decretum Dei de euersione vrbis suæ impediunt.

Ionæ. 3.

Sint etiam in conspectu historiæ Tobiæ, Iudith, Hester: item Machabæi illius Iudæ, qui cum Nicanore congressurus, ipsæ & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orãtes. Et prostrauerunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.

Vide 2. Machab. 15.

Et de Elia sic scribit D. Iacobus: *Multum valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram: & non pluit annos tres, & menses sex: & rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Historia extat 3. Regum. 17. 18.*

Iac. 5.

Efficacia quoque Orationis, in no-

uo Teſtamento, multis & præclaris Exemplis declaratur: ſimiliter & in alijs Eccleſiaſticis hiſtorijs. Ex multis hæc attendamus.

Luc. 18.

Publicanus orat breuibus verbis, ſed ingenti affectu: & peccatorum veniam conſequitur. Teſtimonio etenim Chriſti, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam.

Luc. 23.

Latro in cruce orat, vt Chriſtus ipſius meminiſſe velit in regno ſuo: & eodem ipſo die fit incola paradiſi.

Actor. 12

Eccleſia orat pro Petro Apoſtolo: & mirabiliter Petrus liberatur per Angelum de manu Herodis, & ab omni expectatione plebis Iudæorum.

Anno 176.

M. ANTONINI VERI exercitus in Quadorũ regione ſiti oppreſſus, pluuia Chriſtianorum militũ precationibus diuinitùs miſſa, refocillatur: cùm è contrario hoſtes Germanos & Sarmatas fulmina proſequerentur: & plurimos eorum interficerent.

Iustin. in Apologetic. Tertull. in Apolog. c. 5. Euſ. l. 5. c. 5.

Anno 390

THEODOSIVS IMP. aduerſus Eugenium pugnaturus, orat: & ex-

oritur post illam Imperatoris precem, quam Deo fuderat, ventus ita vehemens: vt tela hostium in eos, qui iecerant, retorqueret.

Ob insignem victoriã Poeta Claudianus, sed paganus: inter cætera, huiusmodi versibus, Deo & hominibus testimonium cecinit:

Euseb. li. 11. ca 33.

O nimium delecte Deo, cui militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Hæc Abbas Vrspergẽsis.

DE GRATIARVM actione.

CAPVT IX.

ET pars est Inuocationis GRATIARVM ACTIO. In omni enim inuocatione, aut petimus aliquid à Deo, aut pro acceptis beneficijs gratias ipsi agimus. Sed nec petere quidquam debemus, nisi simul vel voce, vel mente gratos nos esse cõprobemus. Indignus quippe est, vt ampliora dona accipiat, qui de acceptis ingratus existit. Quod equidem Ingratitudinis vitium, ne

vllum in nobis locum inuenire possit: operam demus, vt mentem nostram, perpetua immensæ illius amplitudinis diuinorum Beneficiorum spiritualium & corporalium, consideratione, occupatam habeamus. Hæc res DEVM mirificè delectat. Constat autem Gratiarum actio perinde vt Gratitudo, duabus summis virtutibus Veritate & Iustitia. Veritas profitetur se accepisse Beneficia: Iustitia non tantum agnoscit se obligari ad officia, sed etiã præstat ea quæ potest. Quare Gratiarũ actio, primum mente beneficia Dei agnoscit & cõseruat: deinde eadem beneficia, motibus cordis, externa voce, & quibuscunque potest officijs celebrare contendit & illustrare. Ita Moses constitutus cũ populo Israel in summis angustijs ad mare rubrũ, fundit gemitus, quos Deus clamorem appellat: at post impetratam liberationem, gratias Deo agit: & canit cum filijs Israel carmen Domino. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, &c. Sunt & alia multa, cum in omni Scriptura,

Exod. 14. & 15.

tum

tum præcipuè in Psalmis Dauidicis, illustria Gratiarum actionis Exempla.

Et hoc nos firmiter statuemus, legitimas & veras nostras orationes, nunquam apud Deum esse inanes, etiã cum corporalia bona petimus: quæ si non ita iuxta nostram voluntatẽ accipimus, certè dat Deus quod est melius & vtilius: & tum demum dat, cùm nouerit nobis expedire. Semper igitur causa in promptu est, cur in Oratione Deo gratias agere non cessemus. Quare tam solicitè nos admonet Apostolus, dicens: *Orationi instate: vigilantes in ea, in gratiarum actione.*

Iam videndum, quid Orationis exauditionem impediat: vt ab eo caueamus: & quod oramus, melius impetremus.

QVID ORATIONIS EXAVDItionem impediat.

CAPVT. X.

DIctum est antea: Orationẽ nostrã, inenarrabili Dei benignitate non exaudiri, cùm animæ

nostræ noxia petimus. Est verò, quod Orationis impediat exauditionem, etiam si maximè salutaria nobis petamus: nempe *Inhumanitas* vel *Crudelitas* erga proximum afflictum. Prouer. ca. 21. *Qui obturat aurem suã ad clamorem pauperis & ipse clamabit, & non exaudietur.* Exemplum extat in diuite Epulone.

Luc. 16.

Item *Simultas* & *Inimicitia*. Marci 11. *Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem: vt & pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Volo ego viros orare in omni loco: leuantes puras manus, sine ira & disceptatione.* In voce, *Ira*, iniuriarum memoriam intellige. In *Disceptatione*, autem, hæsitationem & ambiguitatem, qua tecum disceptas dubitans: hoc est, ratiocinaris, expendis & dijudicas, num sis exaudiendus: contra illud Marci 11. *Credite & accipietis.*

1. Tim. 2.

Denique crassiora illa Peccata, quę in Scriptura sanguinis nomine designantur: atque in ijs obstinatus peccandi affectus obstaculo sunt, quo minus exaudiamur. *Cùm extenderi-*

Esa. 1.

tis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersè: discite benefacere, &c. Ecce non est abreuiata manus Domini, vt saluare nequeat: neq; aggrauata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiat. Caput 59.

Proinde à peccatis conuerti oportet, & reconciliari proximo, & misericordię operibus insudare, vt misericordiam consequamur. Sit semper præ oculis, Signaculum hoc Dei:

Cognouit Dominus qui sunt eius, & : Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. 2 Tim. 2.

QVA ORANDI FORMA vti oporteat.

CAPVT XI.

ORandi Formam absolutissimã, & qua non alia gratior aut efficacior apud Deum, IESVS Christus, D. N. ipse docuit: quæ idcirco DOMINICA dicitur. Qui fecit viuere ait D. Cyprianus, docuit & orare: benignitate ea scilicet, qua & cætera dare & cõferre dignatus est, vt dum prece & oratione quam filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Et cum ipsum habeamus apud Patrem ADVOCATVM pro peccatis nostris quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cùm dicat: Quodcunque petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis: quantò efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius Oratione? Cuius sacramenta multa & magna breuiter sunt in sermone collecta, sed in virtute spiritualiter co-

Serm 6. Oratione Dominica.

Rom. 8.
Ioan. 2.
Ioan. 16.

pio-

piosa : vt nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris cœlestis Doctrinæ compendio comprehendatur.

Vnde liberum est, alijs atque alijs verbis, eadem tamen in orando dicere: sed non debet esse liberum, alia dicere.

Aug. ad Probam. Ep. 121.

Iam ergo considerandum : quæ nos orare ille præcepit per quem & discimus quid oremus, & consequimur quod oramus.

Idem lib. 2 Serm de mon. in monte.

PRECATIONUM OMNIUM UTRIUSQUE TESTAMENTI,

EPITOME.

BREVISSIMA ET ABSOLUTISS. *ab Iesu Christo vnico magistro & domino nostro, præscripta. Matth. 6. Lucæ. 11.*

Petitio. 1. *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.*
2. *Adueniat regnum tuum.*
3. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.*
4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitorib. nostris.*
6. *Et ne nos inducas in tentationem.*
7. *Sed libera nos à malo.* AMEN.

DE BREVITATE ET VTILItate Dominicæ Orationis D. CYPRIANI Episcopi & Martyris SENTENTIA.

Ser 6 de Oratione Dominica.

HOc iam per Esaiam Prophetam fuerat ante prædictum, cùm plenus spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur. Verbum consummans, inquit, & breuians in iustitia, quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cùm Dei sermo, D. N. IESVS Christus, omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni sexui & ætati præcepta salutis ediderit, præceptorum suorum fecit grande COMPENDIVM, vt in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret: sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret.

Esaiæ. 8.

BREVIS ET EXACTA ORAtionis Dominicæ explicatio.

Pater noster qui es in cælis.

DEVS, PATER vocatur, vt clementem & benignum intelli-

gamus: quem nos veri ſincerique filij, fraterna charitate cōcordes, Noſtrum, id eſt, ex æquo omnibus communem compellamus, ne quis ſibi proprium aliquid vindicet, cum ex vnius benificentia proficiſcatur, omnibus quicquid habent. Et hac in parte eſt Regum ac ſeruorum æqualitas. Porrò IN COELIS ESSE dicitur: vt illuc ſuſtollamus animos noſtros, neglectis terrenis bonis.

Septem habet petitiones.

Petitio. I. *SAnctificetur nomen tuum.* Quoniã Dei gloria non oportet quicquam nobis eſſe antiquius, cui debetur omnis gloria in cœlis & in terris: illius tantum gloriam optamus, ne quiſquam in terris vlla ex re quicquam laudis adſcribat ſibi: vnde naſci ſolet inſolentia animique tumor.

II. *ADueniat regnum tuum.* In hac petitione optamus, vt ille regnet: vt illi vbiq; & ab omnibus obtẽperetur. Chriſtianis enim velut exemptis ab hoc mundo, omnis labor in hoc eſſe debet, vt illuſtretur Gloria

Dei

Dei:& indies magis ac magis vigeat Regnum illius, deiecto Satanæ regno.

III. *Fiat voluntas tua, &c.* Quemadmodum in cœlis, vnde præcipitatus est Lucifer cum suis coniuratis, nulla est aduersus diuinam voluntatem rebellio: ita hic petimus, vt inter Dei filios, successuros in locum Angelorum erectorum, omnia fiant ex voluntate Patris cœlestis.

IV. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* A Deo tametsi omnia nobis suppetunt, tamen ea potissimum petenda sunt, quæ conferunt ad vitam cælestem. Nam cætera vel sua sponte, velut auctarium, votis suorũ adijciet, vt est benignissimus. Rogamus igitur, vt ille pascat nos pane cœlestis Doctrinæ, Gratiæque suæ, qui vegetet ac saginet in vitam æternam. Et quoniam non satis est in illius bonis persistere, nisi quotidie proficiamus in melius: ob hoc postulamus ab eo Panem admirabilem, quem quotidie vult peti,

quo-

quoniam quotidie largitur: & ab ipso vult peti, vt meminerimus, ab illius gratuita largitate proficisci omnia bona, ac quicquid hominum animos alit vegetatque ad Euangelicā perfectionem.

V. *ET dimitte nobis debita nostra, &c.* Petimus hic, vt si quid per humanam infirmitatem commissum fuerit aduersus Dei voluntatem, veluti propitius Pater clemēter condonet nobis filijs suis: quemadmodum nos inter nos vicissim ignoscimus, si quid alter in alterū admiserit. Deus enim non audiet nos, nisi concordes, neque facile constabit Concordia, nisi mutuas offensas, sine quibus nō agitur hominum vita quamuis ad perfecta tendentium, inuicem condonemus. Proinde priusquam hac precatione Patrem compellemus, expendamus nobiscum, an vere cupiamus quod petimus: & num idonei simus, quos Pater ista precantes audiat. Sed illud in primis excutiamus, an cum proximis habeamus cōcordiam. Talem enim experiemur Patrē

erga nos, qualem nos proximus experitur erga ſe. Non agnoſcet hunc pro filio, cui non conuenit cum fratre. Si remiſerimus hominibus in nos delinquentibus, remittet & Pater cęleſtis, quod in ipſum delinquimus. Quòd ſi nos erimus duri & implacabiles erga cæteros homines, nec ille condonabit nobis peccata noſtra.

ET ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo. Amen. *VI. & VII.*
Quoniam autem, dum verſamur in hoc mortali corpore, vt proficere ad meliora, ita prolabi poſſumus ad deteriora: præſertim huc modis ōnibus ſolicitāte Satana: vt patris pręſidio tuti ſimus aduerſus huius machinamenta, vt non incidamus in tentationem, petimus: aut ſi inciderimus, eo protegente qui potentior eſt, victores diſcedamus. Sic erimus diuino præſidio tuti aduerſus illum improbum tentatorem, ſi vigilantes erimus, ac diuini contubernij Deum verentes & amantes: illius magis ſeruientes gloriæ quàm noſtræ: ne-

gligentes mundanas opes, & sectantes æterna: tum si fuerimus concordes: postremò, si assiduè optimi Patris ope aduersus pessimum Satanam, qui numquam non insidiatur pijs, vt eos in suam retrahat tyrannidem, imploremus.

Ad illud discipuli: *Domine, doce nos orare.* Luc. 11.

Eiaculatio.

Doce nos DOMINE IESV Christe, semper & seriò orare: & effice, vt Oratio nostra semper sit ETIAM, & AMEN seu fiat.

PIA ET ERVDITA IN ORAtionem Dominicam Meditatio.

Pater noster.

Simon Verep.

O PATER Omnipotens, pie & misericors: qui nos bonitate tua, cùm nõ essemus, ad imaginẽ & similitudinẽ tuã creasti: Quique nos miseros Adæ filios, per peccatum perditos, à Satanæ imperio redemisti: & inter adoptionis filios assumere dignatus es: qui nos ad hęc verè paterno affectu alis, doces, gu-

Gen. 1. Sap. 2. Eccl. 17. Colos. 1. Gal. 4. Ephes. 1.

bernas, ſuſtines & conſeruas. Oramus te votis ardentiſſimis: vt nobis gratiam tuam largiri digneris: qua tuis præceptis & voluntati alacriter obtemperantes, poſſimus te verè Patrem noſtrum appellare.

QVi es in cœlis, Tu quidem ô Pater es in cœlis: conditor eorum & Dominus ſempiternus. At nos miſerabiles filij tui, hic humi reptamus: & velut exules à patria, in terra degimus aliena: fatigamur, ſudamus & ingemiſcimus. Ad te igitur vota noſtra & deſideria mittimus: ſupplici te mente precantes, vt animos affectuſque noſtros ad te ſemper erectos abducas ab his terrenis ad cœleſtia: à caducis ad illa vera & æterna bona, diligentibus te præparata: quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.

2.Cor. 5.

Coloſſ. 3.

Eſa. 64.
1.Cor. 2.

SAnctificetur nomen tuum. Ante omnia, ô PATER cœleſtis, vehementer optamus, vt nomen tuum, quod in ſe ſanctum eſt, glorio-

PET. 1.

ſum

ſum & maieſtate plenum, in nobis quoque, & in cunctis hominibus, candore & exemplo innocentis vitę ſanctificetur, agnoſcatur, colatur & celebretur: vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, nationes omnes te ſolum verum Deum, & quē miſiſti Ieſum Christum, cognoſcentes, ſathanæ & operibus eius abrenuncient: tibi ſoli fidant, te ſolum diligant, te reuereantur ac timeant: vtq; omnes omnium cogitationes, verba, & opera ad tuum ſolius honorem, laudem & gloriam dirigantur.

Ioan 18.

ADueniat regnum tuum. Et cùm abs te vno promanet omnis Poteſtas, Regnum & Imperium: petimus à te ſuppliciter, vt per gratiam & miſericordiam ipſe habites ac regnes in cordibus noſtris: profligatis illinc & procul depulſis, Carne, Mundo & Satana, hoſtibus humani generis: vt ſic vitæ noſtræ perfuncti munere, venire tandem mereamur, ex regno gratiæ, ad regnum illud gloriæ & beatitudinis æternæ: vbi te facie ad faciem cōtemplari, te

PET. 2. Rom. 13.

per-

perfectè diligere, & beata tecum societate in sempiternum perfrui valeamus. | Cor. 13.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Cõcede etiam nobis, clementissime Pater, vt quemadmodũ in cęlo omnes angeli & spiritus sanctorum, diuinæ tuæ voluntati accuratissimè obsequuntur: ita & nobis hic in terra, atque in hoc tristi exilio, & lacrymarum valle adhuc degentibus, ea detur gratia, vt itidem omnia ex optima tua voluntate cogitemus, loquamur, & faciamus: vt siue mori detur, siue viuere: siue prosperè nobiscum agas, siue aduersis: diuinę tuę voluntati semper gratias agamus: certò persuasi, te sapientissimum & clementissimum Patrem, nihil vnquam velle, nisi quod optimum sit, ac nobis salutare. | PET. 3.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. O Clementissime & benignissime Pater, in te oculi omnium sperant: atq; tu alis & pascis vniuersa sub cœlo animantia. En nos | PET. 4 Psal. 144.

famelici, pauperes & mendici, filij tamen tui, & oues pascuæ tuæ, submissè te rogamus: vt hoc corpus nostrum, quo tibi liberius seruiamus, cibo ac potu, alijsque rebus ad vitā necessarijs, fulcire ac sustentare digneris. Et cùm non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: Largire etiam nobis panem cœlestis Verbi, & salutaris Doctrinæ tuæ verum & syncerum intellectum: ne hæresibus vllis aut erroribus, superstitionibusve inuoluamur. Adhæc, ô Pater da nobis manducare panem illum Angelorum, panem viuum, qui descendit de cœlo, Carnem filij tui Domini nostri IESV Christi: vt hunc dignè sumentes, reficiamur in eo & confirmemur, ad hoc iter exilij nostri expeditius conficiendum.

Psal, 78.
Deut. 8.
Psa. 77.
Ioan. 6.
1. Cor. 11.

ET dimitte nobis debita nostra, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Indulgentissimè Pater, cuius misericordiæ non est numerus: cuique proprium est misereri semper & parcere: vides eam esse carnis no

PET 5.

ſtræ fragilitatem, vt Baptiſmi lauacro ſemel à vitijs per Gratiam tuam emundati, in eadem ſubinde relabamur: vt, ſi dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos ſeducamus, & veritas in nobis non ſit. Quare pro immenſa tua Bonitate, obſecramus, vt delicta, quæ in te, & legem tuam commiſimus, digneris nobis propitius cõdonare: ſicut & nos fratribus noſtris, à quibus vel læſi ſumus vel iniuria affecti, delicta & offenſas cõdonamus. Ac, ſi hoc minus quã oportet præſtiterimus: emolli quæſumus, ac inflecte duriſſima hæc corda noſtra, vt inita inter nos omnes mutua charitate, mutuo omnes tanquam verè concordes fratres ex animo diligamus.

1. Ioan. 1.

Matth. 18.

E*T ne nos inducas in tentationem.* O pater omnipotens, licet nos è regno Satanæ in regnum dilectiſſimi tui filij tranſtuleris: nequaquam tamen ab hoſtium impugnatione liberi euadimus. Hinc enim caro nos ſolicitat, illinc mundus adblanditur: à fronte pariter & à tergo ho-

P ET. 6.
Coloſſ. 1.

ſtis impugnat diabolus. Conantur nos omnes, vt à te Patre noſtro deſciſcamus, impellere. At nos imbecillitatis noſtræ non immemores, ad te Deus refugium noſtrum & virtus confugimus : te etiam atque etiam obnixius deprecantes, vt in tam varijs ac infeſtis tentationum inſultibus, tu nobis robur ac animum addas, ne his ſuccumbamus, ac ſuperemur: ſed vt diaboli inſultus tuo adiuti præſidio fortiter repellamus: mundum & eius ſatellitiũ, diuitias, honores, & pompas contemnamus: carnem verò noſtram coerceamus, & ſpiritui ſubijciamus: vt ita demũ tanquam inuicti milites abs te in regno tuo cœleſti, in illa æterna beatorum patria coronari mereamur.

Pſal. 45

PET. 7.

S*Ed libera nos à malo.* Omnipotens æterne Deus, infirmitatis humanæ liberator: multa ſunt mala in hoc æui decurſu; quę, vt à tui recordatione auertamur, nos vrgent ac premunt. Sunt neceſſitates quotidianæ, eſuries, ſitis, algor & æſtus: ſunt peſtis, ac varia morborum genera: ſunt

bella, incendia, inundationes aquarum: sunt hæreses & schismata, atq; animorum dissensiones. Quamobrē benignissime & potentissime Pater, nos inermes, inualidi & imperiti in fidem & præsidium nos tuum recipimus, suppliciter obsecrantes, vt nos à malis omnibus, tum huius vitę, tum ab ęternis futuri sæculi, liberatos, eò transferre digneris, vbi est æterna securitas, summa pax: vbi vita perennis & immortalis: in quo ipse, cum Filio tuo dilecto, & Spiritu sancto, viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Alia in Orationem Dominicam Meditatio.

Pater noster qui es in cœlis.

BEnedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixisti nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo: sicut elegisti nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in cõspectu eius in charitate. Qui prædestinasti nos in ado-

Ephes. 1.

Esa 63. *Exod. 34.* ptionem filiorum, per IESVM Christum. O Pater cœlestis, attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo, & de solio glorię tuę. aufer iniquitates nostras, atque peccata: nosque posside Effice vt postpositis rebus omnibus terrenis, ad te suspiremus: superna quęramus & curemus, non terrestria. *Coloss. 3.*

1. Pet 1. *Coloss 1.* *Esa 52.* *Rom. 2.* *Matth. 5.* *Dan 3.*

S*Anctificetur nomen tuum.* Et quia Patrem inuocamus te: da, vt in timore, incolatus nostri tempore, cõuersemur, quasi filij obedientiæ: vt ambulemus dignè tibi per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, ad gloriam tuam: vt non blasphemetur, sed honorificetur benedictum Nomen gloriæ tuæ, sanctum & laudabile & superexaltatũ in omnibus sæculis.

Luc. 17. *Apoc. 19.* *Esa. 61.* *Luc. 4.* *Matth. 13.* *Psal. 2.* *Eph 2.*

A*Dueniat regnum tuum.* Regnum tuum intra nos est, Christus D. N. Rex regum, & Dominus dominantium, Qui ad euangelizandum pauperibus missus, cœlesti sua doctrina, æternam sibi collegit Eccle-

fiam: cui etiam regni cælorum appellationẽ tribuere dignatus eſt: cuius ipſe Rex & Caput, nos autem membra: quàm à diaboli tyrannidè, non corruptibilibus auro vel argento, ſed ſuo pretioſo ſanguine redemit, ad hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilẽ conſeruatã in cęlis. Gratias agimus tibi: qui nos ad cœleſtia regna vocaſti. Sed ecce Pater: Hoſtis atrociſſimus, nos oppugnare non deſinit, in loco peregrinationis noſtrę: tanquam Leo rugiens, circuit quærens quèm deuoret. Exurge Domine, adiuua nos: rege nos dextera tua, & brachio ſancto tuo defende nos. Contere Satanam ſub pedibus noſtris velociter. Citò veniat Regnum tuum: transfer nos de vmbra ſæculi huius: vt accipiamus regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu tua. Nam tua benignitate, genus ſumus electum, regale ſacerdotium. O Regnum verè beatũ: in quo mors non inuenietur: vbi neque luctus, neque dolor vllus erit: nullus ab inimico timor. Beati qui habitant in domo tua

1. Cor. 12.
1 Pet. 1.
4. Eſ. 3.
Pſal. 118.
1. Pet. 5.
Pſal. 43.
Sap. 5.
Rom. 16.
4. Eſd. 3.
Sap. 5.
1. Pet. 2.
Apoc. 21.
Pſal. 90.
Pſal. 83.

Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Ex D. Cyprian.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, &c. Voluntas tua est, quā Iesus Christus D.N. & docuit & fecit: humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordiā, in moribus disciplina: iniuriam facere non nosse, & factam tolerare posse: cum fratribus pacem tenere. Te Deū toto corde diligere: amare in te, quòd Pater sis: timere quòd Deus: Christo nihil omnino præponere, quia nec ille nobis quidquā præposuit: charitati eius inseparabiliter adhærere: cruci eius fortiter ac fidēter assistere. Quemadmodum ergo ô Pater clementissime, Angeli, ministri tui promptissime audiunt mandatum tuum, & cum gaudio faciunt voluntatem tuam: da, vt eorum exemplo, nos quoq; vsque ad mortem tuam sequamur voluntatem: & cōpressis carnis nostræ cupiditatibus, in rebus secūdis pariter & aduersis, in sua quisque vocatione, omnia cō-

Psal. 102.

Esa. 58.

Iaco. 1. & 5.

filia

ſilia & actiones ad tuam vnius ſanctiſſimam voluntatem inſtituamus, & omnia vitæ huius incommoda & ærumnas patienter feramus: aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta: factus tibi obediens vſque ad mortem. Nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus.

Heb. 12.

Phil. 2.

2 Tim. 2.

PAnem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Petimus quoque, benigniſſime Pater, à te, Panem quotidie ad ſuſtentationem vitæ neceſſarium: qui tua inenarrabili pietate, das etiam iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocãtibus te. Eadem itaque munificentia proſpice nobis filijs tuis, de vitæ huius adminiculis. Serua nobis vitam incolumem, vt ſit mens ſana in corpore ſano: largire victum, veſtitum, hoſpitium, commodam tempeſtatem, agri fertilitatem, œconomiæ defenſionem, tranquillum Reip. ſtatum, & honeſtam diſciplinam: vt in omni-

Pſal. 146.

2.Cor.9. 1.Tim.2.

bus omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.

Sap 16.

Quoniam verò non natiuitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderint, conſeruat: tribue nobis Panem diuini Verbi tui, vt eo alamur per meditationem & operationem mandatorũ tuorũ ad vitam æternã.

Matth. 19

Da nobis etiam ſuperſubſtantialem, eximium & præcipuum illum panem, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo: Corpus videlicet filij tui Domini noſtri IESV Chriſti: qui eſt ſuper omnem ſubſtantiam, & vniuerſas ſuperat creaturas: vt eo dignè vtentes, corroboremur in huius mundi deſerto, donec ad promiſſionis terram, terram viuentium, verè à tua magnifica gloria lacte & melle manantem, perueniamus.

Ioan. 6. 1.Cor.11. 3 Reg. 19. Iosue 5 Exod.3.

Exod. 34.

ET dimitte nobis debita noſtra &c. Pater indulgentiſſime, Deus miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, & verax: qui cuſto-

dis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera, atq; peccata: nullusque apud te per se innocens est. Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus: dimitte nobis peccata nostra. Memorare quę sit nostra substãtia: quoniam puluis sumus. Nosti figmentum tuum. Remittimus & nos fratribus nostris, de cordibus nostris. Sed ô Pater, quantulum? Vtique centum duntaxat Denarios: cùm tibi nos plusquam decem millia talẽtorum debeamus: quam insolubilem summam, nisi tu donaueris, & multiplicaueris misericordias tuas, vt alleuemur qui iniquitatem fecimus: non poterit decies millesima pars viuificari hominum. Si enim iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? Sed donas: quia apud te misericordia, & copiosa redemptio. Non enim delectaris in perditionibus nostris. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.

Psal. 105. *Luc. 11.* *Psal. 88.* *Psal. 102.* *Matth. 18.* *4. Esd. 7.* *Psa. 102.* *Tob. 3.*

(*,*)

ET ne nos inducas in tentationem. Memores imbecillitatis nostræ, oramus te Pater fidelissime: ne sinas nobis tentationem obuenire, qua superemur. Ne patiaris nos tentari supra id quod possumus: sed fac etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. Nec intremus in tẽtationem: vt per suggestionem voluptatum vel cõsentiamus decepti, vel per immissionem afflictionum cedamus afflicti. Vtrobique nobis tuo adesse digneris auxilio: ne peccemus. Et tota hæc vita nostra, plena est laqueis: in qua quamdiu sumus, mille modis solicitamur ad ruinam. Da igitur, vt in omnibus tentationũ periculis, & medijs afflictionum fluctibus paternum nobis adesse sentiamus præsidium: ne Tẽtatoris malis artibus victi, in sempiternũ pertrahamur exitium. Sed instar vasorum figuli probati, & tentationum igne purgati, cursum nostrum consumemus: bonumque certemus certamen, tecum victuri in omnium victrice tentationum, Ciuitate tua cœlesti, in omnia sæcula.

1. Cor. 10.
Matth. 26
August. ad Probam.
Eccl. 27.
2. Tim. 4.

Sed

Psal. 81. *Gal. 4.* *Eph. 6.*

SEd *libera nos à malo.* Pater omnipotens tua gratuita Benignitas nos semel à peccatis expiatos, ab impurissimo diabolo liberauit, per IESVM Christum Filium tuum: & in honorem nominis ac hæreditatis adoptauit. Sed quamdiu versamur in terris, perpetua nobis lucta est cum generis nostri inimico, nihil non moliente, vt nos, quibus tuum inuidet Beneficiũ, in suum ius retrahat. Consolatur autem nos tua bonitas, quæ plus potest ad salutem, quàm vniuersa illius malitia ad perniciẽ. Da igitur, vt ab omnibus tãdem corporis & animi, præsentibus & futuris malis liberemur: & Hæreditatẽ cœlestis Regni, Sanguine eiusdem filij tui D.N. IESV Christi, partam, possideamus: in qua non tanget nos malum: vt inter Angelicos Choros, beatosque spiritus, cœlestibus delitijs perfruamur. Patrocinante nobis gratia tua: cui cum Filio vnigenito, & Spiritu sancto, gloria & honor, nunc & in omnia sæcula. AMEN.

Iob. 5.

ALIA: EX D. PAVLI EPISTOLIS COLLECTA.

PROOEMIVM: PATER NOSter, qui es in cœlis.

2.Cor. 1.

OMnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri IESV Christi: Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui prædestinasti nos in Adoptionẽ filiorum, per IESVM Christum: solus habens immortalitatem, & lucem inhabitãs inaccessibilem: Cum gaudio gratias agimus tibi, qui dignos nos fecisti in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuisti nos de potestate tenebrarum, & transtulisti in regnum filij dilectionis tuæ.

Ephes. 1.
1.Tim. 6
Coloss 1

PETITIO I.

Sanctificetur nomen tuum.
Ephes 5.

DA, vt imitatores simus tui, sicut filij charissimi: &, vt filij lucis ambulemus, in omni bonitate, & iustitia, & veritate: probãtes, quid sit benepla

citum tibi: nec communicemus operibus infructuosis tenebrarum, ne Nomen tuum per nos blasphemetur inter gentes. Dignè Euangelio Christi conuersemur: vt simus sine querela, & simplices filij tui, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, tanquam luminaria in mundo verbum vitæ continentes, ad gloriam tuam in die Christi.

Rom. 2.
Phil. 1. & 2.

PETITIO. II.

ETiam flectimus genua nostra ad te Patrem Domini nostri IESV Christi: vt des nobis secundum diuitias gloriæ tuæ, virtutē corroborari per Spiritum tuum in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Et verbum eius habitet in nobis abundanter, in omni sapientia. Desiderium etiam habeamus dissolui, & esse cū Christo. Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: quòd ædificationem ex te habeamus: domum non manufactam, æternam in cœlis.

Adueniat regnum tuum.
Ephes 3.
Coloss. 3.
Phil. 1.
2 Cor. 5.

PETITIO III.

Fiat volun tas tua. *Coloss 1.*

IMpleamur ô Pater, agnitione voluntatis tuæ, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali : vt ambulemus digne, tibi per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes. Hæc eſt enim voluntas tua, ſanctificatio noſtra. Nec conformemur huic ſæculo: ſed reformemur in nouitate ſenſus noſtri : vt probemus, quæ ſit voluntas tua bona, beneplacens & perfecta. Da gratiam tuam, vt perficiamus eandem ex animo, ſicut miniſtratorij ſpiritus tui, in miniſterium miſſi propter nos, qui te fauente, hæreditatem capiemus ſalutis.

1.Theſ. 4. *Rom. 12.* *Sicut in cælo & in terra.* *Hebr. 1.*

PETITIO. IV.

Panem noſtrum quotidian[um] da nobis hodie.

SInt mores noſtri ſine auaritia contenti præſentibus. Tu enim dixiſti: non te deſeram neque derelinquam: ita vt cõfidenter dicamus: Dominus mihi adiutor. Propè es Domine, nihil ſoliciti ſumus: ſed omni oratione & obſecratione cũ gratiarum actione petitiones noſtræ innoteſcant apud te. Exerceamus

Hebr. 13. *Phil. 4.*

nos,

nos,præſta,ad Pietatem,quæ ad omnia vtilis eſt:promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt,& futuræ: Et nullius aliquid deſideremus: quin ipſi facile tribuamus, libenter communicemus:Teſaurizemus nobis fundamentum bonum in futurum, vt apprehendamus vitam ęternam.Potens es autem Deum omnem gratiã abundare facere in nobis: vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes,abundemus in omne opus bonũ. Qui autem adminiſtras ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabis.

1.Tim.4.
1.Theſ.4.
1.Tim.6.
2.Cor.9.

PETITIO. V.

QVoniam verò non habitat in carne noſtra bonum: vt non quod volumus bonũ, hoc faciamus, ſed quod nolumus malum, hoc agamus;& regnante peccato in noſtro mortali corpore,obediuimus cõcupiſcentijs eius:ac propterea iudiciũ tuum non effugiemus: veniat, Pater benigniſſime, ſuper nos miſericordia tua:& oſtendens diuitias gloriæ tuæ fac nos vaſa miſericordiæ tuæ

Et dimitte nobis debita noſtra.
Rom.6.
Rom.2.
Rom.9.
Rom.6.
Coloſſ.3.

ad gloriam tuam: & vbi abundauit delictum, superabundet & gratia. Ecce remittimus & alijs minas: vt te Dominum nostrum in cœlis propitium habeamus. Tu nos quoque indue sicut electos tuos, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ modestiam, patiẽtiam: vt donemus inuicem, sicut & tu in Christo donasti nobis. Nulli malũ pro malo reddamus: sed si fieri potest, quod in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus. Nec defendamus nosmetipsos: sed demus locum iræ. Quæ pacis sunt, fac, sectemur: & quę ædificationis sunt, inuicem custodiamus.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Eph. 4.* *Rom. 12.* *Rom. 14.*

PETITIO. VI.

HOc quoq; concede Pater piẽtissime: vt tentatio nos non apprehendat, nisi humana: ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua: ita corrumpantur sensus nostri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo IESV. Fidelis es Deus: non patiaris nos tentari, supra id quod pos-

Et ne nos inducas in Tentationẽ *1. Cor. 10.* *2. Cor. 11.* *1. Cor. 10.*

ſumus, ſed etiam fac cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.

Petitio. VII.

Confirma nos, & cuſtodi à malo. contere Satanam ſub pedibus noſtris velociter, vt nô circumueniamur ab eo: non enim ignoramus cogitationes eius. Fac nos reſiſtere in die malo, & in omnibus perfectos ſtare: indutos loricam fidei & Charitatis, & galeam ſpem ſalutis. Non ſumus fidentes in nobis: ſed in te Deus. Ideoque confidimus hoc ipſum, quia qui cœpiſti in nobis opus bonum, perficies vſque in diem Iesv Christi. Fidelem credimus eſſe te, qui repromiſiſti. Quotquot enim Promiſſiones tuæ ſunt, ſunt Est & Amen.

Sed libera nos à malo.
2. Theſ. 3.
Rom. 16.
2. Cor. 2.
Epheſ. 6.
1. Theſ. 5.
2. Cor. 1.
Philip 1.
Heb 11.

Amen.

PRECATIONES MATVTINAE.

PRO AVSPICIO DIEI.

Admonitio.

Surgens mane auſpicaberis initium diei, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS S. *Ages gratias Deo, quod eam noctem tibi voluerit eſſe proſperam: precaberiſq́, vt diem itidem illum totum bene fortunet: ad ipſius gloriam, & animæ tuæ ſalutem.*

PRECATIO MATVTINA.

Ex Hortulo animæ.

GRatias tibi ago Pater, Domine cœli & terrę: quòd me hac nocte, per tuam magnam miſericordiã, cuſtodire dignatus es, precor immẽſam clementiam tuam, vt mihi hodiernum diem ita in fide, ſpe, charitate, humanitate, manſuetudine, patientia, benignitate & ſolicitudine ſalutis tranſigere concedas, vt Maie-

ſtati tuæ ſeruitus mea placet. Conſerua me Domine ab omni malo,& ab omnibus inſidijs & infeſtationibus dæmonum, & inimicorum omnium, viſibilium & inuiſibilium. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum filium tuum, benedictum in ſæcula. Amen.

ALIA: CHRISTO.

IMpartire mihi, Domine IESV, Spiritum ſanctum tuum, qui vanas meas cogitationes cohibeat, verba formet, emendet opera: vt dignus inueniar hæreditate tua cœleſti, ad quem nos veniens, factus homo, vocare dignatus es. Qui viuis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ed. Gallus.

SVBIVNGATVR ORATIO DOMINICA.

CVM ANGELICA SALVTATIONE, pro grata memoria Incarnationis Filij DEI.

AVE Maria gratia plena: Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui, IESVS Chriſtus. Amen.

Luc. 1.

SYMBOLVM APOSTOLORVM.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in IESVM Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu sancto: natus ex Maria virgine. Passus sub Pontio Pilato: crucifixus: mortuus: & sepultus. Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos : sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Et vitam æternam. Amen.

AD SYMBOLVM APOSTOLORVM PRECATIO.

Hila. lib 12 de Trinitat Matth. 28.

SAncta Trinitas, conserua hanc fidei meæ incontaminatam re-

ligio-

ligionem : & vſque ad exceſſum ſpiritus mei, dona mihi hanc Conſcientiæ meæ vocem, vt quod in Regenerationis meæ Symbolo, baptizatus in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, profeſſus ſum, ſemper obtineam. Amen.

D. AMBROSIVS.

Certè ſolennes orationes, cum gratiarum actione ſunt deferendæ, cùm è ſomno ſurgimus, cùm prodimus, cùm cibum paramus ſumere, cùm ſumpſerimus, & hora incenſi: denique cùm cubitum pergimus. Sed & in ipſo cubili volo Pſalmos cum Oratione dominica frequenti quoque contexas vice: vel cùm euigilaueris, vel antequam ſopor corpus irriget: vt te in ipſo quietis exordio, rerum ſæcularium cura liberum, diuina meditantem ſomnus inueniat. Symbolum quoque ſpecialiter debemus tanquam noſtri ſignaculum cordis, antelucanis horis quotidie recenſere. Quò etiam cùm horremus aliquid, animo recurrendum eſt.

De Virgin lib. 3.

ECCLESIAE PRECES.

DIgnare Domine die isto: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.

Esto nobis Domine turris fortitudinis: à facie inimici.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Domine sancte, Pater omnipotēs, æterne Deus: qui nos peccatores ad principium huius diei, non nostris meritis, sed tua sanctissima gratia peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute: & concede, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, nec vllum incurramus periculum: sed semper ad tuam iustitiam faciendã, nostra procedant eloquia, dirigantur simul cogitationes & opera. Adsit nobis Domine virtus Spiritus S. quæ & corda & corpora nostra clemēter expurget, & ab omnibus semper tueatur aduersis, per Christum dominum nostrum. Amen.

ALIA PRECATIO, POSTQVAM surrexeris dicenda.

MIsericordissime Deus, imple me spiritu tuo: vt hodie nihil agam, dicam, aut cogitem, nisi quod acceptum sit tibi: & ad gloriam cedat nominis tui, atque animæ meæ salutem. Rege mentem meam ac voluntatem, omnesq; motus cordis mei: vt tibi totus sim addictus, nihilque sapiam, præter te Deum meum. En offero me tibi hoc diluculo, in holocaustum: effice, vt placeam tibi. In manus tuas Domine, commendo hodie & omnibus diebus vitæ meæ, animam meam & corpus meum. Tu me circumualla excubijs SS. Angelorum tuorum: manda eis, vt custodiant me in omnibus vijs meis. Prælientur cum Dracone Satana: ne vllum mihi inferat malum. Anima mea sustinet te Domine: quoniam adiutor & protector noster es. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 12.
Psal 30.
Psal. 33.
Psal. 90.
Apoc 12.
Psal. 32.

Chrysost. ad populum Antioch. Hom. 21.

AD EGRESSVM ADMONITIO.

Cùm es ianuæ vestibula egressurus, hoc prius loquere verbum: ABRENVNTIO *tibi Satana, & coniungor tibi Christe: nec vnquam absque hac voce exeas.*

D. HIERONYMVS.

Ad Eustoch.

Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Domini crucem.

PROGRESSVRVS Itaque dic:

Ioan. 14

Abrenuntio tibi Satana: & adhæreo † tibi Christe: qui es Via, Veritas & Vita.

Psal. 58.

Deduc me domine in via tua, ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Psa. 24.

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Psal 16.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus.

Per-

Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea. *Psal. 15.*

Conserua me Domine, quoniam speraui in te.

PRECATIO ECCLESIAE.

DIrigere & sanctificare dignare Rex, Creator cœli & terræ, hodie corda & corpora nostra, sensus quoque & sermones, & omnes actus nostros, in via & in lege mandatorum tuorum: & præsta nobis facere voluntatem tuam, vt inuenire misericordiam tuam possimus, & placere in conspectu tuo. Angelus tuus bonus comitetur nobiscum, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, prosperitatis & salutis: vt hic & in æternum, per te Domine, & in te, semper salui, sani & liberi esse mereamur. Rex gloriæ salua nos: qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen. *Tob. 5.*

ALIAE PRECATIVNCVLAE, quibus nos Deo commendabimus.

Ex Hort. animæ,

OPtimæ Maxime Deus, Pater clementissime: rogo te per misericordiam tuã, vt me isto die gubernes: regasq; tuo Spiritu, ne quid mali faciam, aut vllo modo precẽ: sed timeam te Dominum meum, & seruiam tibi in toto corde meo: & dirigas in conspectu tuo viam meã. Qui es Deus benedictus in sæcula, Amen.

Luc. 18.

Deus propitius esto mihi peccatori, & custodi me: his omnibus diebus ac noctibus Deus meus, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: Deus & Pater Domini nostri IESV Christi, miserere mei: & mitte mihi in adiutorium S. Angelum tuum, qui me custodiat & protegat ab omnibus inimicis meis. † Ecce crucem Domini: fugite partes aduersæ. Vicit Leo de tribu Iuda, Saluator mundi salua nos: qui per crucem & sanguinem redemisti nos: auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster. Sancte Deus, sancte fortis, sancte & immortalis: miserere nobis: & custo-

Apoc. 5.

di nos ab omni malo, Amen.

Domine Sancte Pater omnipotens: nos famulos tuos tuæ Maiestati subiectos, per vnicum filium tuū, in virtute Spiritus S. benedic & protege: vt ab omni aduersitate securi, in tua iugiter laude lætemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

EX PROVERBIORVM Cap. 3. Admonitio.

Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

AD INGRESSVM TEMPLI.

VERBA mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. *Psal. 5.*

Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.

In multitudine misericordię tuę introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo.

IIII.

PRECATIONES EVCHARISTICAE.

IN TEMPLO AVT DOM. *quotidie dicendæ: & Priuatæ quædam, pro cuiusque vocatione.*

AD SANCTISS. TRInitatem.

August. Meditat. cap. 11.

TE Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum S. Paracletum, Sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus. Tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Meditat. cap. 32.

Te labijs & corde, omniq́ue qua valeo virtute, laudo, benedico, atq; adoro, tuæque clementiæ & bonitati, pro vniuersis beneficijs tuis gratias refero, & hymnum gloriæ tuæ cano: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Tu es Deus omnipotens, Custos & Protector omnium in te sperantium:

ſine quo nemo eſt tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non eſt alius Deus præter te, neque in cœlo ſurſum, neque in terra deorſum: qui facis magnalia, & mirabilia, & inſcrutabilia: quorum non eſt numerus. Te decet laus, te decet honor, te decet hymnus: tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuerſæ poteſtates hymnos dicunt, & laudes indeſinenter concinunt, vtpote, creaturę Creatori, Domino ſerui, Regi milites. Te ſanctam & indiuiduam Trinitatem omnis creatura magnificat, omnis ſpiritus laudat. Tribue domine, vt donec in hoc fragili corpore poſitus ſum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia oſſa mea dicant: Domine quis ſimilis tui? Tu es Deus omnipotens: quem trinum in perſonis, & vnum in ſubſtantia Deitatis colimus & adoramus: Patrem ingenitum, Filiũ de Patre vnigenitũ, Spiritum ſanctum de vtroque procedentẽ, & in vtroque permanentem: Sanctam & indiuiduam Trinitatẽ: vnum Deum omnipotentem. Qui cùm non eſſemus, potẽter

Meditat. cap. 33.

Pſal. 34.

fecisti nos: & cũ perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos: ne sinas nos esse ingratos tantis beneficijs, & indignos tam multis miserationibus. Te deprecor, supplico & rogo: auge fidem, auge spem, auge charitatem. Fac nos per ipsam gratiam tuam, semper in fide stabiles & in opere efficaces: vt per fidem rectam, & condigna fidei opera, ad vitam, te miserante, perueniamus æternam: vt ibi videntes gloriam tuam, sicuti est, adoremus Maiestatem tuam: & dicamus pariter, quos dignos feceris videre gloriam tuã: Gloria Patri, qui creauit nos: Gloria Filio, qui redemit nos: Gloria Spiritui sancto, qui sanctificauit nos: Gloria summæ & indiuiduæ Trinitati: cuius opera inseparabilia sunt: cuius imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus: tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

AD EANDEM SANCTISS. Trinitatem.

Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis. Domine omnipotens, ineffabilis, & sine Principio: quem vnum in Trinitate, & Trinum in Vnitate confitemur. Te laudo, te adoro, te glorifico, tuæq; clementiæ gratias ago: qui me existentem in nocte tenebrarum, voluisti fieri participem gratiæ & misericordię tuæ. Perfice in me quæso, cœptum opus misericordiæ tuæ, & gratuita me vbique pietate custodi: & fac me peccatorum semper cogitare, loqui & agere, quæ tibi placita sunt: & post huius vitæ terminum, ad tuam visionem peruenire. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Ex Hort. animæ.

CANTICVM ZACHARIAE;

In quo celebratur summum Dei Opt. Max. beneficium de Redemptione generis humani.

Luc. 11.

Matth.1. BEnedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.

Psal.131. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

Psal.73. Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum eius.

Hier.23. & 30. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris: & memorari Testamenti sui sancti.

Gen.22. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

Hier.31. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi.

1. Pet.1. In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Malac.4. Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorũ eorum.

Per viſcera miſericordię Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. *Zach. 3. & 6.*

Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigẽdos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HYMNVS ANGELICVS *Luc. 2.*

GLoria in altiſſimis Deo: & in terra pax hominibus bonę voluntatis.

ECCLESIA.

Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriã tuã. Domine Deus rex cęleſtis, Deus Pater omnipotens. Domine fili vnigenite IESV Chriſte. Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis. *Ioan 1.*

Mar. 16. Quoniam tu ſolus ſanctus. Tu ſolus Dominus. Tu ſolus altiſſimus, IESV Chriſte. Cum Sancto S. in gloria Dei Patris, Amen.

CANTICVM SS. AMBROSII ET AVGVSTINI.

In quo tota Trinitas laudibus effertur, & Chriſti præcipua beneficia celebrantur: precationibus etiam Eccleſia Deo commendatur.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuerſæ Poteſtates,

Tibi Cherubim & Seraphim inceſſabili voce proclamant:

Eſa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli & terra Maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus:

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur eccleſia.
Patrem immenſæ Maieſtatis:
Venerandum tuum verum, & vnicum Filium: *Ioan. 17.*
Sanctum quoque Paracletum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Chriſte.
Tu Patris ſempiternus es Filius.
Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.
Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum. *Oſee 13. 1. Cor. 15.*
Tu ad dexteram Dei ſedes in gloria Patris.
Iudex crederis eſſe venturus.
Te ergo quęſumus, tuis famulis ſubueni, QVOS PRECIOSO SANGVINE REDEMISTI,
AEterna fac cum Sanctis tuis gloria munerari.
Saluum fac populum tuum Domine & benedic hæreditati tuæ,
Et rege eos, & extolle illos: vſque in æternum.
Per ſingulos dies benedicimus te: *Pſal. 144.*
Et laudamus nomen tuum in ſæcu-

lum, & in sæculum sæculi.

Dignare domine die isto sine peccato nos custodire.

Psal 122. Miserere nostri domine, miserere nostri.

Psal. 32. Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.

Esa. 30. In te domine speraui, non confundar in æternum.

GRATIAR. ACTIO AD DEVM *subinde repetenda.*

Lud. Blo. ex D. Aug. DOmine S. Pater omnipotens, æterne Deus: ego miser vermiculus & inutilis peccator supplici mente te adoro, totoque cordis affectu pietati tuæ gratias ago: qui per vnigenitum Filium tuum Dominum nostrum IESVM Christum, cooperãte Spiritu sancto, cũ perijssemus, misericorditer requisisti nos. Gratias ago tibi pro inenarabili tua erga nos dilectione: qua ipsum vnigenitum tuũ è sinu Diuinitatis tuę, in hanc vallem miseriæ nostræ descendere voluisti, vt nos peccatores saluos faceres: & constituisti eum

instau-

instauratorem animarum nostrarum: vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Mi Pater dulcissime: ego vltimus seruorum tuorum, ex penitissimis animæ meæ medullis gratias ago, pro sancta eius incarnatione & Natiuitate: pro eius paupertate & innocenti Conuersatione: pro eius Passione & Morte: pro eius Resurrectione & Ascẽsione: pro vniuersis Doctrinis eius & operibus. Gratias ago pro mysterio viuifici Corporis & Sãguinis illius: quo in Ecclesia pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur: ac sũmę Diuinitatis participes efficimur. Gratias ago, quòd regeneraueris nos in spẽ viuã, per resurrectionem eiusdẽ Vnigeniti tui: quodq́; per ipsum adoptaueris nos in filios, signans mentes nostras Spiritu sancto, donans nobis pignus hęreditatis æternæ. Gratias ago, pro omnibus miserationibus Bonitatis tuæ, quib. dignatus es nobis miseris & indignis subuenire: quòd me nullius momenti puluisculũ, ab ipso vitę meę exordio nutristi, suppeditãs

Ioan. 3.

1. Pet. 1.
2. Cor. 1.
Ephes. 1.

omnia

omnia quæ huic corpusculo necessaria sunt: & per vniuersa ferè scelera diuagantem atque lasciuientem, patienter tolerasti, donec gratia tua resipiscerem: quòdque me ex innumerabilibus insidijs, tentationibus, angustijs & periculis liberaueris: dirigens, conseruans, ac protegens animam meam & corpus meum misericorditer: atque vitæ meæ ordinē inter prospera & aduersa mirabiliter dispensans. Ex intimis viscerum meorum, sicut possum, tibi gratias ago. Tu es enim DEUS laudandus in sæcula. Amen.

Rom. 2.

CONFESSIO FIDEI CHRIstianæ atq; Catholicæ: *qua se quisque tanquam huic immoriturus, quotidie Deo commendare debet.*

Ex D. Aug. Medit. c. 30

CONfiteor te DEUM PATREM ingenitum: te FILIUM à Patre genitum: te SPIRITUM S. Paracletum, neque genitum, neq; ingenitum: sanctam & indiuiduam TRINITATEM, in tribus coæqualibus personis, consubstantialibus & coæternis. Trinitatem in Vnitate, & Vnitatem in Trinitate, corde cre-

Rom. 10.

dens

dens ad iuſtitiam, & ore confitens ad ſalutem. Cognoui te verũ DEVM & D.N. IESVM CHRISTVM, Filiũ Dei vnigenitum, Creatorem, Saluatorem, & Redemptorem meum, & totius generis humani: quem confiteor ex Patre genitum ante ſæcula: Deum de Deo: Lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: non factum, ſed genitum, cõſubſtantialem Patri & Spiritui ſancto, atque coæternum: per quem omnia facta ſunt: firmiter credens te Deum vnigenitum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, propter ſalutem hominum à tota Trinitate incarnatum: & ex Maria perpetua virgine, Spiritus ſancti cooperatione, conceptum: & verum hominem factum, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtẽtem. Qui cùm ſecundum Diuinitatem vnigenitus Dei impaſſibilis ſis pariter & immortalis: propter nimiam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, idem ipſe Dei Filius, ſecũdum humanitatem, factus es paſſibilis & mortalis. Qui propter ſalutem humani generis, vnice Fili

Eph 2.

Dei,

Dei, in ligno crucis pati dignatus es Passionem & Mortẽ, vt nos ab æterna morte liberares. atque ad inferos vbi sedebant in tenebris Patres nostri, autor luminis descendisti: & die tertia gloriosus victor ab inferis ad superos resurrexisti: resumens sacrũ corpus, quod pro peccatis nostris mortuum iacuerat in sepulchro: & viuificans, secundum Scripturas, die tertia: vt ipsum in Patris dextera collocares. Assumpta nanq; tecum ex inferis captiuitate, quam captiuauerat antiquus hostis, humani generis inimicus: verus Dei filius, cũ nostræ carnis substantia, id est, cum anima & carne humana ex virgine gloriosa assumpta, super omnes cęlos ascendisti, transcendens omnes ordines Angelorum: vbi sedes ad dexteram Dei Patris: vbi est fons vitæ, & lumen inaccessibile, & pax Dei quæ exuperat omnem sensum. Ibi te Deum verum, & hominem verum IESVM Christum adoramus & credimus, confitentes te Patrem habere Deum: indeque venturum Iudicem in fine sæculi expectamus,

1. Cor. 15.

Eph. 4.
Phil. 4.

vt iudices viuos & mortuos: & reddas omnibus, bonis & malis, secundum opera sua. Resurgent enim in illa die, à voce virtutis tuæ, omnes homines, quotquot humanã animã acceperunt, in carne sua, quam hic habuerunt: vt totus homo pro meritis, vel Gloriam suscipiat vel Gehẽnam. Tu es ipse Vita & Resurrectio nostra, quem Saluatorem expectamus: qui reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis tuæ. Tibi commendo vitam meam: vt custodias introitũ meum & exitum meum, ex hoc nũc & vsque in sæculum. Amen.

Rom. 14. *2. Cor. 5.* *Ioan. 11.* *Phil. 3.* *Psal. 120.*

FORMVLA PRECANDI, qua pij Principes & Magistratus, vt bene præsint, quotidie vti debent. Ex lib. Sapient. Cap. 9.

DEus Patrum nostrorum, & Dominus misericordiæ: qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est: vt disponat orbem terrarũ in æquitate

& iustitia: in directione cordis iudicium iudicet. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam: quoniā seruus tuus ego sum, minor ad intellectum iudicij & legum. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret: & sciam quid acceptum sit coram te Scit enim illa omnia, & intelligit: & deducet me in operibus meis sobriè: & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea. Amen.

EIACVLATIO.

Ex 3. Reg. Cap. 3.

DOmine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum: da ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit: & discernere inter bonum & malum.

D. GREGORII PRECATIO, QVA *Pastores populi quotidie vtentur. Ex Hom ad illud Lucæ 10 Designauit IESVS, &c.*

DEus, qui nos pastores in populo vocari voluisti: præsta, vt,

quod humano ore dicimur, in tuis oculis eſſe valeamus. Per Dominum N. IESVM Chriſtum filium tuum Amen.

PRECATIO, QVAM VSVRPAbunt ſtudioſi, ad Scholas aut lectiones accedentes: pro Docilitate pietatis.

SEruus tuus ego ſum: da mihi intellectum Domine, vt diſcam mandata tua. Quoniam Lex tua immaculata, conuertens animas, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitię tuæ rectæ, lætificantes corda: Præceptum tuum lucidum, illuminans oculos. Declaratio ſeruorum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Et tu Domine das ſapientiam; & ex ore tuo prudentia & ſcientia.

Pſal. 118.
Pſal. 18.

Pſa 118.
Prou. 2.

ALIA, PRO DOCIlitate.

DOmine IESV Chriſte, qui es æterna Dei ſapiētia Patris: da auxilium gratię tuæ, vt literas liberales diſciplinas citiùs perdiſcã, ſed tuæ gloriæ ſeruituras: quarum

admini-

adminiculis adiuta mens mea, plenius assequatur cognitionem tui, vtque ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum, indies proficiam, ætate, sapiétia & gratia apud Deum & apud homines. Qui viuis & regnas in cõsortio Patris & S.P.S. in æterna sæcula, Amen.

Luc. 2.

PRO RECTE VIVENDI DIrectione, *precatio generalis, quotidie dicenda. Per Io. Fischerium Episc, Roffens, ex Psalm. collecta,*

Psal. 24.

AD te Domine animam meam leuo: Deus meus in te confido, non erubescam: ne lætentur de me inimici mei. Vias tuas Domine notas fac mihi: semitis tuis assuefacito me. Dirige me in veritate tua, & instrue me: quia tu es Deus Salua[illegible]r meus, te expecto omni die. Dulcis & rectus tu Domine: & propterea reducis errantes in viam tuã. Sustentas omnes qui casuri sunt: & omnes collapsos erigis. Prope es omnibus, qui te inuocant: dummodo te inuocent in veritate. Voluntatem timentium te facis, & preces

Psal. 144.

eorum audis: eosque saluas. Miserere mei Deus, miserere mei: quia in te confidit anima mea: tu enim salutare meum, gloria mea & robur fortitudinis meæ. Propter temetipsum Domine Deus meus, ne imputes mihi peccata mea. Circumuoluunt me mala, quorum non est numerus: apprehenderunt me iniquitates meæ, & videre non possum. Sit manus tua in auxilium mihi: & dirigat me in omnibus operibus meis. Perfice gressus meos in vijs tuis: vt non dominetur mei omnis iniquitas. Pone custodiam ori meo: & serua ostium labiorum meorum. Sint placentes sermones oris mei; & meditatio cordis mei in cōspectu tuo semper. Ne recedat de ore meo sermo veritatis: & cor meum malitia non inhabitet. Domine erue animam meam à labijs mendacij: & à lingua dolosa libera me. Verbum verum & sanctū insere in os meum: & ociosos sermones longè à me semoueas. Redime me à calumnijs hominum: secundum iudicium tuum moderare me. Auerte oculos meos, ne videant

Psal. 56. *Psal. 61.* *Psa. 39.* *Psal. 16.* *Psal. 140.* *Psal. 18* *Psal. 118.* *Psal. 119.* *Psal. 118.*

vana: in via tua istos fige. Fornicationem & omnem immundiciam aufer à me: & amor carnis non me decipiat. Etiam à Superbia libera animam meam, ne dominetur in me. Inclina cor meum Deus in testimonia tua: & non in Auaritiam. Et ab omni via mala prohibe pedes meos: ne deflectant vestigia à semitis tuis. Oculi mei ad te Domine: doce me facere voluntatē tuā. Et deduc me per semitā rectam: quia Deus meus es tu. O Domine salua animam meā: & de potestate tenebrarum redime me. Illumina faciem tuā super seruum tuum: quia ad te confugi, ô Domine Deus meus. Respice ad me & miserere mei: quia solus & pauper sum ego. Custodi animā meā & eripe me. Domine non confundar, quoniam speraui in te.

Psal. 24.

ORATIO ECCLESIAE.

OMnipotēs & misericors Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: vt in nomine dilecti filij tui, mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Christum Dominum nostrum.

EIACV-

EIACVLATIO.

Ex 3. Reg. 8.

SIs Domine Deus noster nobiscum, non derelinquas nos, neq; proijcias: sed inclina corda nostra ad te, vt ambulemus in vniuersis vijs tuis, & custodiamus mandata tua.

OPERIS QVIPPIAM factturi, Precatio.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni & adiuuando prosequere: vt cuncta operatio nostra à te semper incipiat, & per te cępta finiatur. Per IESVM Christum Dominum nostrum. Amen.

Ex precibus Ecclesiæ.

EIACVLATIO.

Ex Psal. 37.

INtende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.

ITER INGREDIENTIS Precatio.

OMnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri IESV Chri-

ſti:gratias ago tibi, quòd inenarrabili amore noſtri, filium tuum miſiſti in hunc mundum: vt homo fieret, & pro nobis ſuſtineret omnes vitę huius miſerias. In huius filij tui nomine, ingredior hoc inſtitutum iter meum: & oro te, per omnes peregrinationes eiuſdem Filij tui Domini noſtri IESV Chriſti, qui tranſiens per Samariam, fatigatus ex itinere, ſedens requieuit ad puteum Iacob: & obambulauit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: manda S. Angelis tuis de me, vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis. Sint illi mecum, ſicut fuerunt cum famulo Abrahæ: & cum Iacob, in reditu ex Meſopotamia. Comitentur me, ſicut populum Iſrael exeuntem de Aegypto: & cuſtodiant me ſicut Heliſæum Prophetam cuſtodierunt. Adiũge Raphaelem comitem mihi, ſicut peregrinanti Tobiæ: qui bene diſpoſuit omnia, quæ circa eum geri debebant, ita vt cum gaudio reuerteretur. Dirige greſſus meos nũc, & toto curriculo vitæ meæ: vt non timeam à timore nocturno, à ſagitta

Ioan. 4. Act. 10. Pſal. 90. Gen. 24. Gen. 2. Exod. 14. 4. Reg 6. Tob. 5 14. Pſal 90.

volante in die: à nogotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Quoniam tu es Domine spes mea. Et in omnibus his largire mihi gratiam tuam Domine: vt, qui sum aduena apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei, in mundo hoc defixus non sim: sed mẽtem meam supra cœlos attollam, & expectem meliorem, hoc est, cœlestem patriam: vbi tu Viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 38.

Hebr. 11.

ALIA VIATORIS PRECATIO CHRISTO.

FIdelissime Custos hominũ, IESV Christe, sub cuius custodia nihil est periculi, sine cuius custodia nihil vsquam est tutum: qui per Angelum tuum prosperasti iter serui Abrahæ, ac filij Tobiæ, omniumque tibi syncero corde fidentium: da precor vt tuis auspicijs hæc profectio mihi fęlix faustaque sit: ac rebus ex sentẽtia gestis, corpore pariter atque animo perueniam ac redeam incolumus: tuæque bonitati gratiam agam, cum

Gen. 24.
Tob. 14.

omnibus,qui me saluum esse gaudebunt. Qui cum Patre & S. Spiritu viuis & regnas in omne æuum. Amen.

EIACVLATIO.

Ex Genes. Cap.24.

DOmine Deus, in cuius conspectu ambulo: mitte Angelum tuum, & dirige viam meam.

ALIA.

Ex Tob. Cap.1.

SIs Domine Deus in itinere nostro: & Angelus tuus comitetur nobiscum.

NAVIGATVRI PRECATIO.

DOmine IESV, qui mortalem adhuc in terris carnem gerens, ad discipulorum preces solo verbo immanes ventorum tumultus compescuisti: subitoque turbatas vndas, in magnam vertisti tranquillitatem: nimirum, vt Rex & conditor omnium, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Tu nobis verè sa-

Matth.8.

luta-

lutare ſydus in hac nauigatione adfulgeas: vt in omni elemento tuæ miſericordiæ gratias agamus. Cui honor & imperium in omnia ſæcula. Amen.

EIACVLATIO.

Ex Pſalm. 65.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: Spes omnium finium terræ, & in mari longè.

ORATIO ECCLESIAE.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: vt inter omnes viæ & vitæ huius varietates, tuo ſemper pro tegamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

AD INGRESSVM DOMVS habitationis tuæ.

ORATIO ECCLESIAE.

VIſita Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longè repelle: &

Angeli tui sancti nos in pace custodiãt: & Benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum N. Amen.

ALIA.

OMnipotẽs sempiterne Deus, mitte S. Angelum tuum de cœlo: qui visitet, protegat, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum D. N. Amen.

PRECATIO S. THOMAE *Aquinatis pia & erudita: quam ille omnibus suis negotijs præmittere solet.*

COncede mihi quæso, omnipotens & misericors Deus, quę tibi placita sunt, diligenter & ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfectè implere: ad laudem & gloriam nominis tui.

Domine Deus meus, ordina statum meum: & quòd à me requiris, vt faciam, tribue vt possim, sciam &

velim:& da exequi, vt oportet & expedit saluti animæ meæ.

Via mihi quæso, ad te sit tuta & consummata, non deficiens inter prospera & aduersa: vt in illis non extollar, & in istis non deprimar: vt in prosperis gratias tibi referam, & in aduersis seruem patientiam. De nullo gaudeam vel doleã, nisi quod promoueat ad te, vel abducat à te: nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te:& grata sint mihi omnia tua:& tu Deus meus plusquã omnia.

Tædeat me gaudij, quod est sine te: nec cupiam aliquid, quod est extra te. Delectet me omnis labor, qui est per te:& tædiosa sit mihi quies, quæ non est in te.

Frequenter & feruenter da mihi dulcissime Domine cor ad te dirigere:& defectionem meam, cum vero emendationis proposito, dolendo pensare.

Fac me Deus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, maturum sine grauitate, agilem siue leui-

tate, veracem ſine duplicitate: & te timentem ſine deſperatione, in te ſperantem ſine præſumptione: caſtũ ſine corruptione: proximum corripere ſine indignatione, diligere ſine ſimulatione, ipſumque verbo & exemplo ædificare, ſine elatione: obedientem ſine contradictione, patiẽtem ſine murmuratione.

Da mihi dulciſſime IESV, cor peruigil, quod nulla à te abducat curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio.

Largite mihi Domine Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerantiam te fiducialiter expectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficijs in vita vti per gratiã, & gaudijs tuis in Patria frui per gloriã. Amen.

PIE VIVENDI PRAECEPTA.

IN QVIBVS PER TOTVM *diem in omnibus actionibus meditari oportet.*

LOCVTVS EST DOMINVS *cunctos sermones hos.*

EGo sum DominusDeus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. *Exod.c.20.*

Non habebis deos alienos coram me.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Memento vt diem sabbati sanctifices.

Honora patrem tuum & matrem tuam: vt sis longæuus super terram, quā Dominus Deus tuus dabit tibi.

Non occides.

Non mœchaberis.

Non furtum facies.

Non loqueris contra proximum tum falsum testimonium.

Non concupisces domum proximi tui.

Non desiderabis vxorem eius: nõ seruum: non ancillam: non bouem: nec omnia quæ illius sunt.

Exod. ca 22. Aduenam non contristabis, neque affliges eum.

Viduæ & pupillo non nocebitis. Si leseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio: & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.

Leuit. ca 19. Non mentiemini, nec decipiat vnusquisque proximum suum.

Non periurabis in nomine meo: nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.

Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.

Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum.

Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis.

Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis.

Iuſtè iudica proximo tuo.

Non eris criminator, neque ſuſurro in populo.

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.

Non quęras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.

Diliges amicum tuum ſicut te ipſum.

Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mẽſura.

Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquuſque ſextarius.

VERBA TOBIAE AD FILIVM.

AVdi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi funda- *Ex cap. 4*

mentum conſtrue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli: & honorem habebis matri tuæ, omnibus diebus vitæ eius, memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Cùm autem & ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue, ne aliquando peccato conſentias & prætermittas præcepta Domini Dei tui. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſyuam, & noli auertere faciem tuã ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quantum potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguam libenter impartiri ſtude.

Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniã eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo elleeſyna, Omnibus facientibus eam. At-

tende tibi fili, ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam, numquã patiaris crimen ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue: & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuũ cum eſurientibus & egenis comede: & de veſtimentis tuis nudos tege. Conſilium ſemper à ſapiẽte perquire. Omni tempore benedic Deũ: & pete ab eo, vt vias tuas dirigat: & omnia conſilia tua in ipſo permaneãt. Noli timere fili mi. Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.

Ex cap. 14.

AVdite filij mei patrẽ veſtrũ. Seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita ſunt illi: & filijs veſtris mã-

date, vt faciant iustitias, & eleemosynas: vt sint memores Dei, & benedicant eum in veritate, & in tota virtute sua.

SVMMA DOCTRINAE IESV Christi Filij Dei.

Ioan. 14.
Fides.

EGo sum VIA, VERITAS & VITA: nemo venit ad Patrē, nisi per me.

Ioan. 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, nō pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, nō videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Pœnitentia.
Marc. 1.

Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pęnitemini, & credite Euangelio.

Matth. 11.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

Tollite iugum meum super vos, &

discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meũ suaue est, & onus meum leue.

Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines: ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.

Charitas. Matth. 7. & 22.

HOC est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Ioan. 5.

Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Ioan 13.

Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderũt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Matth. 5.

Esto-

Opera misericordiæ.
Luc. 6.

Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Nolite iudicare, & non iudicabimini.

Nolite condemnare, & non condemnabimini.

Luc. 12.

Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis.

Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquã vita eius est ex his quæ possidet.

Crux.
Matth. 7.

Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quę ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam.

Matth. 10.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

Ioan. 19.

In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

Matth. 28.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

Matth. 26.

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.

Præparatio ad mortem.
Luc. 12.

Spiritus quidem promptus est: ca-

ro autem infirma.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quādo reuertatur, à nuptijs: vt cùm venerit & pulſauerit, confeſtim aperiant ei.

Luc. 21. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.

Reſurrectio mor. Ioan. 5. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.

Iudicium Extremum. Matth. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

Matth. 25. Cùm autem venerit filius hominis in Maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem Maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos

autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his,qui à dexteris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare:ſitiui, & dediſtis mihi bibere:hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus,& viſitaſtis me:in carcere eram,& veniſtis ad me.

Tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes: Domine, quãdo te vidimus eſurientem,& pauimus: ſitientem,& dedimus tibi potum? quando autẽ te vidimus hoſpitem, & collegimus te:aut nudũ,& cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere,& venimus ad te? Et reſpondens Rex dicet illis. Amen dico vobis, quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo,& Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram,& non collegiſtis me:

nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.

Vita æterna.
Matth. 13.

Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius IESV CHRISTO. *Hic est verus* DEVS, *& vita æterna.*

1. Ioan. 5.

QVID IN SVO QVENQVE STATV, AC VITAE genere, *facere oporteat: Admonitio ex S. Scripturæ thesauro sumpta.*

VERBA S. SCRIPTVRAE.

AD EPISCOPOS ET Pastores.

Actor.20. ATtendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.

1.Pet.5. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, per-

Legant Ezechiel ca.34. & Io.ca.10.

cipietis immarcessibilem Gloriæ coronam.

AD GREGEM.

OBedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. *Heb. 13.*

AD REGES ET PRINCIPES.

ATtendite reges & intelligite: discite Iudices finium terræ. Præbete aurem vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secũdum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum, in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim *Sap. 6.*

con-

conceditur misericordia: potentes autem potenter torméta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus auté fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones, vt discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiam, iustè iudicabuntur: & qui didicerint iusta, inuenient quid respondeant.

Legant. Deut. ca. 17. & Ps. 100.

QVALEM PRINCEPS CONSTITUET *Magistratum.*

Deut. 16.

IVdices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi: vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personá nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Iustè, quod iustum est, persequeris.

AD IVDICES ET PRAEFECTOS.

Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. 2. Par. 19.

AD SVBDITOS.

Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim Poteſtas, niſi à Deo: quę autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere Poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, Rom. 13.

vindex in iram ei qui malum agit. Ideoque necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal: vectigal cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

AD CLERVM.

1. Tim. 4.

EXerce te ipsum ad pietatem. Exemplum esto fideliũ in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit. Solicitè autem cura, teipsum probabilem exhibere Deo.

2. Tim 2.

AD MARITOS.

Ephes. 5.

VIri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim

vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eã, sicut & Christus Ecclesiam. Et vos singuli, vnusquisq; vxorem suam sicut seipsum diligat.

AD VXORES.

MVlieres subditæ sint viris suis. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circũdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritꝰ, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctę mulieres sperãtes in Deo, ornabant se, subiectæ proprijs viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. *1 Pet. 3.*

AD PARENTES.

PAtres, nolite ad iracũdiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini. *Ephes. 6. Coloss. 3.*

AD LIBEROS.

FIlij, obedite parentibus vestris in *Ephes. 6.*

Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mãdatum primum in promissione) vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram.

AD DOMINOS ET PATREMFAMILIAS.

Coloß. 3.

DOmini quod iustum est & ęquum, seruis præstate: scientes, quòd & vos Dominum habetis in cœlo.

AD SERVOS ET MERCENARIOS.

Ephes. 6.

SErui, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non oculum seruientes, quasi hominibus placentes sed vt serui CHRISTI, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & nõ hominibus: scientes quoniam vnusquisq; quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber.

AD VIRGINES ET VIDVAS.

TEmpus breue eſt, reliquum eſt vt & qui habent vxores, tanquam nõ habentes ſint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, &c. Et mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt: vt ſit ſancta & corpore, & ſpiritu. *1. Cor. 7.*

AD MILITES.

NEminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. *Luc. 3.*

AD PVBLICANOS.

NIhil amplius, quàm quòd conſtitutũ eſt vobis, faciatis. *Ibidem*

AD DIVITES.

1.Tim. 6.

QVI volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, (qui præstat nobis omnia abundè ad fruẽdum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, cõmunicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.

AD PAVPERES.

Ibidem.

EST quæstus magnus pietas cũ sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

Sint mores sine auaritia: contenti præsentibus, ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor.

Heb 13.
Iosue. 1.

AD VTROSQVE: PAVPERES ET DIVITES.

GLorietur frater humilis, in exaltatione sua: diues autem in humilitate sua: quoniam sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fęnum: & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt. Ita & diues in itineribus suis marcescet.

Iac. 1.

AD OMNES OMNIVM HOMINVM ORDINES *& gradus.*

DIliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua: & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet & Prophetæ.

Matth. 22.
Deut. 6.

1. Ioan. 3.

HOc est mandatum Dei: vt credamus in nomine filij eius IESV CHRISTI: & diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis. Et qui seruat mandata eius: in illo manet, & ipse in eo.

Ioan 13. & 15.

Eccl. ca. 12.

FInem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time: & mādata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Et cuncta quę fiūt, adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum siue malum sit.

DE ORATIONE ET S. *Lectione*,

ISIDORI SENTENTIA.

Orare, est ad Deum preces adhibere: Deum inuocare: Dei fidem implorare: opem auxiliumque diuinū petere. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter *Orare* debet & *Legere*. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur. Cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur.

PRECATIONES MERIDIANAE.

VI.

Ad cibi sumptionem Admonitio.

OPus est nos, & mensam petentes, & desistentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus nunquam in ebrietatem decidet aut insolentiam, nunquam crapula dis rumpetur: sed orationis expectationē pro freno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet: & multa quidem animam, multa verò benedictione corpus implebit. Mensa nanq; ab oratione sumens initium, & in orationem desinens nunquam deficiet: sed fonte largius omnia nobis adferet bona.

Chrys. ad pop. Antioch. Hom 79.

BENEDICTIO MENSAE, *qua Ecclesiastici pariter edentes vti solent.*

PATERFAMILIAS. Benedicete.

CONVIVAE. Dominus.

Psal.33. PAT. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

CON. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, &c.

PAT. Benedic † nos Domine: & hæc dona tua, quæ de tua largitate sumus sumpturi, per Christum Dominum nostrum. Amen.

CON. Iube Domine benedicere.

PAT. Mensæ cælestis participes facias nos Rex æternæ gloriæ, Amen.

LECTIO S. EX EPIST.

1. Ioan. 4. DEVS Charitas est: & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et ipsa charitas nos benedicat, & ad vitam æternam perducat, Amen.

VSVS HVIVS S. LECTIONIS.

Solet hæc Lectio recitari, vt edentes, pauperum memores simus: atque eos de nostro apparatu, quantulocunque etiam, reficere non negligamus: iuxta illud Esaiæ: Frange esurienti panem tuum. Et in Nehemia dicitur: Mittite partem his, qui non præparauerunt sibi. Hoc verò Charitatis lex postulat. Vide 1. Ioan. 3. Et quale est, ait Ambros. si in vna eademque domo, inter seruulos vnius domini, alter exultet in holosericis, alter consumat in pannis: alius æstuet cibo, alius famem frigusq; sustineat? Non ergo extranei sint alimonijs, qui fratres sunt Sacramentis.

Esa. 58. 2. Esd. 8. Serm 14. de Natali Domini.

GRATIARVM ACTIO post Esum.

AD GRATIARVRM Actionem, Admonitio ex Deuteron. Cap. VI.

Cùm comederis & saturatus fueris: caue diligenter, ne obliuiscaris Domini.

D. HIERONYMVS.

Nec cibi ſumantur, niſi Oratione præmiſſa: nec recedatur à menſa, niſi referatur Creatori gratia.

GRATIARVM ACTIO.

PATERFAMILIAS. De tali Cõuiuio benedicamus Domino. CON. Deo gratias.

PAT. Gratias agimus tibi Domine IESV Chriſte, pro vniuerſis donis & beneficijs tuis. Qui viuis & regnas Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

PSALMVS 116.

Inuitantur omnes gentes ad laudãdum Deum, propter magnitudinem Miſericordiæ & Veritatis, quæ per Chriſtum toti generi humano exhibita eſt.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniã confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Pat. &c. Sicut erat in principio &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater, noſter. &c.

PAT. Deus det viuis gratiam, defunctis requiem, Ecclesiæ suæ pacẽ: nobis autem miseris peccatoribus, post hanc mortem Vitam & Lætitiã sempiternam. Amen.

Diuinum auxilium maneat semper nobiscum.

A subitanea & improuisa morte, & ab omni malo, liberet nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

ADMONITIVNCVLA.

Sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.

ALIA BENEDICTIO *Mensæ.*

BEnedictus es Domine, qui me pascis à iuuentute mea: qui das escam omni carni: reple gaudio & lætitia corda nostra, vt omnem sufficientiam habentes, abundemus in omni opere bono in Christo IESV Domino nostro: per quem tibi gloria, honor & fortitudo, in sæcula sęculorum, Amen.

Ex Ioan. Chrysost.

Psal. 135.
2. Cor. 6.

ALIA GRATIARVM *Actio Eiusdem.*

Rom. 2.

GLoria tibi Domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi Rex: quoniam dediſti nobis cibum in lætitiam: imple nos Spiritu Sancto, vt inueniamur in conſpectu tuo beneplacentes, & non erubeſcentes, quando reddes vnicuique ſecũdum opera ſua.

Hos Hymnos D. Ioan. Chryſoſt. interpretatus eſt, Homil. ad Pop. Antioch. 57. & Hom. in Matthæum 56.

PRECATIONES VESPERTINAE.

Ad cubitum ituris, Admonitio.

SVb noctem, flexis ante lectum genibus, tecum reputa, quibus ſtudijs is dies peractus ſit. Si quid eſt grauioris admiſsi, CHRISTI *clementiam implora, vt ignoſcat: Si nihil eſt, age gratias illius beneficentiæ, quòd*

te ſer-

te seruarit ab omni vitio. Deinde, te totum illi toto pectore commenda: vt te protegat ab insidijs diaboli, & ab obscœnis somnis.

Cogita quantæ sint hostis hominum, per licentiam quietis, insidiæ: dum homo velut cadauer iacet impos sui: quo instantius orandus est Christus, vt nos tam imbecilles tueatur. Et frons & pectus crucis nota exterius muniēdum: interius verò pijs precibus, & sanctis meditationibus.

Io. Lud. Viues.

CONFESSIO HOMINIS *peccatoris, de bonis omißis, & peccatis commißis, sapè quidem in die, præcipuè autem sub noctem, atque ex toto corde facienda.*

O Creator & Domine cœli & terræ, maris & omnis creaturæ, Sancte, fortis, terribilis, omnipotens, iuste & recte, miserator & misericors Deus: Ego indignus, miser & infœlix peccator, confiteor, me esse vilissimum & nefandissimum peccatorum omnium: & tam enormiter offendisse oculos

Ex Hortulo animæ.

Luc. 15. maiestatis tuæ : vt non sim dignus vocari filius tuus : imò ne infimus quidem seruus tuus : indignus omnino, vt terra sustineat calcaneum pedum meorum. Qui non vno, sed innumeris peccatis te offendi, & nec quidem offendere cesso: peccata nimirum peccatis accumulando. *2. Cor. 1.* *Ezech. 18.* Verùm pijssime pater quia pater misericordiarum tu es: & tibi proprium est misereri semper, & parcere : qui non vis mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat : de tua misericordia summè confidens, peto indulgentiam & remissionem omniũ peccatorum meorũ, quibus vnquam tuam bonitatem offendi, à principio vitæ meæ : vsque ad hanc horam : scienter vel ignoranter. (*Expende, quæ bona toto die omiseris, quæue peccata commiseris: dole de præteritis: & caue de futuris.*) *Luc. 18.* *Psal. 142.* Deus propitius esto mihi peccatori. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Fac mecum signum in bonum: vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Do-

mine

mine adiuuisti me, & consolatus es me.

EIACVLATIO.

Misericors & miserator DOmine, miserere mei, quia peccaui tibi. Serua me deinceps ab omni malo, confirma me in omni opere bono: & noli me reprobare, quando reddes vnicuique iuxta opera sua. *Rom. 14.*

PRECATIO VESPERTINA.

Ex Hort. animæ.

Omnipotens æterne DEus: tibi gratias ago, quòd me hac die ex tua gratia custodire dignatus es. Precor immensam clementiam tuã: vt quicquid cogitanto, loquendo, operando, fallente carne, mundo, & diabolo peccaui, per passionem & Crucem Vnigeniti filij tui Domini nostri IESV Christi, mihi benignè indulgere: & ab omni animæ & corporis periculo me custodire digneris: vt incolumis ad laudandum nomen tuæ Maiestatis exurgam: & tibi cum bona voluntate, puro corde, & casto corpore, cum vera lætitia, & gratia-

rum actione seruire valeam. Per eundem Christum D.N. Amen.

ALIA: CHRISTO.

DOmine IESV Christe, cuius inexhaustę benignitati debemus omnia: precor, vt, si quid hoc die per humanam incuriam commisi, quod offenderit oculos tuos, tu pro tua solita Bonitate condones: simulque des, vt hæc nox, te prosperante, sit mihi fœlix: te custode pura: te protectore à nocturnis dæmonum ludibrijs tuta: vt hic somnus corpus simul & mẽtem in crastinum diem ad tibi seruiendum reddat alacriorem. Et quoniam hæc vita nec vllã horam habet certam: vbi venerit illius vespera, & vrgebit corporis sõnus, vnde non expergiscemur, nisi cùm ad Angeli tui tubam excitabuntur mortui: quæso, vt tum illumines oculos animæ meæ: ne extincta fide, obdormiam in morte sempiterna: sed requiescam in te: cui viuunt etiã mortui. Qui viuis & reg. cum Patre & S. sancto, in sempiternum. Amen.

1. Thes. 4.

Psal. 12.

Pater noster, &c. Aue Maria, &c. Credo in Deum.

AD SYMBOLVM APOST. PRECATIO.

Concede mihi Domine, fide quam ſuſcepi cuſtodita, curſu conſummato, expectare repoſitam coronam iuſtitiæ: & inueniri inter eos, qui reſurgent in vitam æternam: liberari verò à confuſione & opprobrio ſempiterno, Amen.

Cypr. in fine Symboli. 2. Tim. 4. Ioan. 5. Dan. 12.

ECCLESIAE PRECES.

Dignare Domine nocte iſta: ſine peccato nos cuſtodire. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

Eſto nobis domine turris fortitudinis: à facie inimici.

Domine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te veniat.

Illumina Domine tenebras noſtras & totius huius noctis inſidias, tu à nobis repelle propitius: vigila ſuper nos æterne Saluator, ne nos apprehendat ille callidus tentator:

quia tu nobis factus es sempiternus adiutor. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

EIACVLATIO.

SAlua nos Domine vigilantes: custodi nos dormientes: vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. Amen.

ALIA: CHRISTO.

PAx tua Christe maneat in cordibus nostris: vt non timeamus à timore nocturno siue diurno: sed semper vigilemus cunctis in operibus mandatorum tuorum. Amen.

HYMNVS VESPERTINVS.

Ambros.

CHRISTE qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque Lumen crederis
Lumen beatum prædicans.
Precamur sancte Domine,
Defende nos in hac nocte,
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne grauis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuat.
Oculi somnum capiant,
Cor ad te semper vigilet,
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defensor noster aspice,
Insidiantes reprime,
Guberna tuos famulos,
QVOS SANGVINE MERCATVS ES.
Memento nostri Domine,
In graui isto corpore,
Qui es Defensor animæ,
Adesto nobis Domine.
Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu Paracleto,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

CANTICVM SIMEONIS.

NVNC dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. *Luc. 2.*

Quia viderunt oculi mei, salutare tuum.

Quod

Quod parasti, ante faciem omniũ populorum.

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel.

CVM INCVBVERIS, *sic precaberis.*

Lud. Vi.

FAc Domine IESV, Præses & Propugnator noster: vt nunc iacentes & nostri impotes, ab astu & incursibus hostis nos tueare: & tunc finito vitæ curriculo, magis adhuc inualidos, non nostris meritis, sed clementia tua ad te voces, vt tecum semper viuamus. Nunc verò obdormiscamus in te: tu solus, tua illa bona ingentia, incredibilia, per visum nobis obuersentur: vt ne dormientes quidem à te absimus. Qui cum Patre, & S.S. viuis & reg. in sæcula sæculorum. Amen.

Suscipe me tuendum IESV Christe: Præsidium nostrum: fac, vt sopito corpore, animus in te meus vigilet: & fœlicem illam lętissimamque cœlestem Vitam lætus atque alacer contempletur: in qua tu Princeps es, cum Patre, & S. S. in sæcula sæculorum. Amen.

EIACVLATIONES.

RESPICE & exaudi me Domine DEVS meus. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. *Ex Psal. 12. & 16.*

Custodi me, vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me. *Ex Ps. 30.*

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt saluum me facias.

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum duduces me, & enutries me,

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritũ

meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Psal. 4.

IN pace in idipsum: dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

AD INCVMBENTES *pia D. Ioan. Chrysost. Admonitio.*

Homil. 2. in Psalm. 50.

QVando accubueris super stratū tuum, & neminem infestum pateris, antequàm veniat tibi somnus, profer in medium codicem Conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua: Si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti. Hoc enim dicit Propheta: Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini: *Per diē non habuisti tēpus: mille te rerum circundederunt causæ. Quādo in lectum tuum veneris, vt sopori membra concedas, nemo tibi molestus est, nemo pulsat: dicito in corde tuo & in anima tua:* Expendimus *diem o Anima mea: quid boni fecimus, aut quid mali operati simus?* Et *si quid*

Psal. 4.

boni fecisti, gratias age Deo: si quid mali, de cætero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum, effunde lacrymas: & poteris in lecto positus ea delere. Roga Deum tuum & sic permitte animam tuam soporari.

PRECATIONES POENITENTIVM. VIII.

AD PECCATORES ADmonitio. Ex Ezechielis Cap. XVIII.

ANima quæ peccauerit, ipsa morietur. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & nō morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Nunquid Voluntatis meæ est mors impij, dicet Dominus DEVS: & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?

Vnum-

Vnumquemque iuxta vias suas iudicabo, ait Dominus Deus. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.

PSALMVS VI.

Est oratio hominis sentientis iram Dei, & intra conscientiam suam anxij, & trementis ad diem futuri iudicij, atque ob id iram Dei deprecantis, eiusq; misericordiam implorantis.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neq; in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: & tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter

misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est à furore oculus meus: inueterauí inter omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationẽ meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.

EX PSALMO XXIV.

Est humilis ad Deum pro veterum delictorum venia, Precatio: & ad eius Misericordiam & Bonitatem omnibus semper contritis corde declaratam prouocatio.

REminiſcere miſerationũ tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

Delicta iuuentutis meæ & ignorãtias meas ne memineris.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis pecc. to meo: multum eſt enim.

Reſpice in me & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Reſpice inimicos meos quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Cuſtodi animam meam & erue me: non erubeſcam quoniam ſperaui in te.

EX PSALMO L.

Inſignis eſt Oratio: pro Remiſſione peccatorum.

MIſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiã tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Auerte faciem tuã à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuũ ne auferas à me.

Ex Psal. 78

DOmine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarũ: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

PSALMMVS CXXIX.

Ardens est precatio mentis territæ conscientia peccatorum, & metu futuri iudicij: ideoq; veniam precantis, & ad Dei misericordiam prouocantis.

DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimit Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

PSALMVS CXLII.

Est aptissima orandi forma, qua pœnitens peccator debitam peccatis deprecetur vltionem.

DOMINE exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris sicut mortuos sęculi, & anxiatus est super

me ſpiritus meus:in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis:in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine:defecit ſpiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me:& ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam:quia in te ſperaui.

Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te leuaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine,ad te confugi:doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuū Domine viuificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam:& in miſericordia tua diſper

des

des omnes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

ORATIO MANASSE REGIS: *cùm captus teneretur in Babylone.*

2. Paral 36.

DOmine omnipotens, Deus patrum nostrorũ: Abrahã, Isaac, & Iacob, & seminis eorum iusti: qui fecisti cœlum & terram cum omni ornatu eorum: qui ligasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, & signasti eam terribili & laudabili nomine tuo: quem omnia pauent & tremũt à vultu virtutis tuæ: quia importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, & insustetabilis ira comminationis tuæ super peccatores: immensa verò & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ: quoniã tu es Dominus altissimus, benignus, lõganimis, & multùm misericors, & pœnitens super malitias hominum. Tu Domine secundum multitudinem bonitatis tuæ promisisti pœni-

tentiam & remiſſionem ijs,qui peccauerunt tibi:& multitudine miſerationum tuarum decreuiſti pœnitentiam peccatoribus in ſalutem. Tu igitur Domine Deus iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham,Iſaac,& Iacob, ijs qui tibi non peccauerunt: ſed poſuiſti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ: & non ſum dignus intueri, & aſpicere altitudinem cœli,præ multitudine iniquitatum mearum:incuruatus ſum multo vinculo ferri,vt non poſſim attollere caput meum, & nō eſt reſpiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam, & malum coram te feci:non feci voluntatem tuam, & mandata tua non cuſtodiui:& ſtatui abominationes, & multiplicaui offenſiones. Et nunc flecto genua cordis mei,precans à te bonitatem. Peccaui Domine peccaui:& iniquitates meas agnoſco. Quare peto rogans te:remitte mihi Domine, remitte mihi: & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æ-

ternum:

ternum, iratus, reſerues mala mihi, neque damnes me infima terræ loca: quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium: & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignũ ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam: & laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cęlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO TOBIAE.

Cap. 3.

IVſtus es Domine, & omnia iudicia tua vera ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia & veritas & iudicium. Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obediuimus præceptis tuis.

ORATIO ESAIAE.

Ex cap. 64.

ET nunc Domine, pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine ſatis: & ne vltra memineris

iniquitatis nostræ. Ecce respice: populus tuus omnes nos.

ORATIO HIEREMIAE.

Ex ca. 17.

SAna me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es.

ORATIO BARVCH.

Ex cap. 3.

ET nunc Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te: audi Domine & miserere, quia Deus es misericors: & miserere nostri, quia peccauimus ante te.

ORATIO DANIELIS.

Cap. 9.

OBsecro Dumine Deus magne & terribilis, custodiens pactũ & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus & recessimus, & declinauimus à mandatis tuis ac iudicijs. Tibi Domine iustitia, nobis autẽ cõfusio faciei. Et nunc Domine Deus noster, auertatur obsecro ira tua: & exaudi Domine Deus noster orationem ser-

ui tui. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac, & ne moreris propter temetipsum Deus meus.

ORATIO ESDRAE.

DEus meus, confundor & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cœlum.

1 Esd. 9.

ORATIO CANANEAE *ad Christum.*

MIserere mei Domine fili Dauid: Domine adiuua me.

Matth. 15.

ORATIO CAECORVM *ad Christum.*

DOmine miserere nostri fili Dauid: Domine miserere nostri fili Dauid.

Matth 9. & 20.

ORATIO FILII PRODIGI.

Luc 15.

PAter, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.

ORATIO PVBLICANI.

Luc. 18.

DEus propitius esto mihi peccatori.

D. AVGVT. PRO REMISsione peccatorum, ad Deum Patrem precatio.

Lib. Medit. ca. 2.

TV factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quendam seruum tuum dixisti: Miserationes eius super omnia opera eius. Et quasi de singulo loquentem, de vniuerso populo tuo te dixisse confidimus: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abijcis, neminem perhorrescis: nisi forte qui amens te exhorruerit. Ergo modo iratus non percutis: sed te irritantibus, donas, si

Psal. 144.

Psal. 88.

quiene-

quieuerint, tribuis. Deus meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus: ego infœlix, ego te irritaui, ego malum coram te feci, furorem tuum prouocaui, iram promerui: peccaui & passus es: deliqui & adhuc sustines. Si pęniteo, parcis: si reuertor, suscipis: insuper dum differo, præstolaris. Reuocas errantem, inuitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem. Doces ignorantem, mœrētem mulces, à ruina suscitas, post lapsum reparas: petenti largiris, quærenti inueniris, & pulsanti aperis. Ecce Domine Deus salutis meæ, quid opponam nescio: quomodo respondeam, ignoro: nullū abs te confugium, nullū abs te patet latibulū. Ostēdisti mihi bene viuendi viam, & gradiendi scientiam dedisti: minatus es mihi gehennam, & pollicitus es mihi paradisi gloriam. Nunc pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: confige timore tuo carnes meas: quatenus quæ minaris, metuendo euadam: & redde mihi lætitiam salutaris tui: vt quæ spondes,

Psal. 17. *Psal. 50.* *Luc. 15.* *Luc. 11.* *2 Cor. 1.* *Psal. 118.* *Psal. 50.*

diligendo percipiam. Fortitudo mea Domine, firmamentum meũ, Deus meus, refugium meum, & liberator meus, suggere quid de te cogitem: doce quibus te sermonibus inuocẽ: da quibus operibus tibi placeam. Scio nanque scio vnum, quo tu placaris, & aliud quod non spernis. Est vtique tibi spiritus contribulatus, sacrificium: & acceptas cor contritum & humiliatum. His me, Deus meus, adiutor meus, dita muneribus: his contra inimicum muni protectionibus: hoc de flammis vitiorũ præsta refrigerium: hoc autem desideriorum passionibus pande pium refugium. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim de numero eorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli: spes mea in die afflictionis, & salus in tempore tribulationis.

Amen.

Psal. 143. *Psal. 50.* *Luc. 8.* *Psal. 13.* *Hier. 17.*

ALIA AD DEVM PATREM.

Thomæ Kemp.

DOmine Deus, sancte pater, peccaui in cœlum & coram te: & non sum dignus vocari filius tuus. Sed, pater mi, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Iuste agis, si proijcis me à facie tua: sed misericorditer facis, indignum omni beneficio recipiendo. In hac confisus misericordia, procido ad pedes tuos, lacrymas fundo, vestigia tua adoro & osculor, te deprecans humili & contrito corde. Respice misericors Deus super canem mortuū, & pulicem viuum. prętende misericordiam tuam sciētibus te: da dexteram profugo seruo tuo. Ne irascaris Domine Deus in perpetuum, super malignitate serui tui: sed vniuersæ multitudinis misericordiæ à sæculo recorderis, & sis placabilis super seruum tuum. Exaudi Domine hanc petitionem meam, quam fundit seruus tuus coram te, genua flectens ante omnipotentiam tuam: adorans super terram vultum gloriæ tuæ: quia stultè egi, &

Luc.15. *Dan.3.* *1 Reg.24.* *Psal.35.* *Psal.24.*

insipienter nimis, multoties offendens Maiestatem tuam: non veritus thronum regni tui. Dimitte obsecro omnem noxam seruo tuo, & ne deleas nomen meum de libro viuentium: sed in electorum tuorum numero me scribere digneris: vt inueniar in gloriam & laudem nominis tui. Amen.

ALIA AD DEVM PATREM, pro remißione peccatorum, Ioan. Episc. Roffens. precatio: Tota verbis S. scripturæ contexta.

O Dominator Domine Deus omnipotens, magne & terribilis: qui cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, verbo tuo fecisti: cuius potentia irresistibilis: & misericordia super omnia opera tua. In ditione tua cuncta sunt posita: anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis. Tu misereris cui volueris, & clemens es in quem tibi placuerit: qui non vis mortem impij, nec delectaris in perditionibus animarum. O Deus miseri cor-

Exod. 34. 2. Esd. 1. Dan 1. Psal. 32. Esa. 47. Ps. 144. Hest. 13. Iob. 12. Exod 33. Ezech. 18. Sap. 13. Ephes 2.

dia diues: qui propter nimiam charitatem tuam qua dilexisti nos, etiã cum inimici tui essemus, vnigenitũ filium tuum IESVM Christum misisti in hunc mundum: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Miserere mei, miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele transgressiones meas. Pater sancte, peccaui in cœlum & coram te: neque iam sum dignus vocari filius tuus. Auerti enim me, & non custodiui fœdus tuum: ambulaui in via non bona, post cogitationes meas, eligens ea quæ tu noluisti. Nec te metui Domine Deus omnipotens, neque vultum tuum reueritus sum: inobediens fui, & ceruicem meam induraui. Exosam habui disciplinã, & sermones tuos proieci retrorsũ. De malitia mea pœnitentiam non egi: sed præualui in vanitate multa. In corde meo non fuit veritas: & iniustitiam operatæ sunt manus meæ. Locutus sum iniquitatem, & dolos parturiui: meditatus sum cũ corde

Rom. 5. *Ioan 3.* *Psal. 50.* *Luc 15.* *Esa. 65.* *Hier. 5.* *Hier. 17.* *Hier. 6. & 8.*

meo verba mendacij, & consumpta est in vijs meis veritas. Assuefeci linguam meam loqui vanitates, perficiens voluntatem carnis: & cogitationum studia, & adinuentiones meę contra te Domine Deus meus: vt prouocarem oculos maiestatis tuæ. Væ mihi desertori, vt facerem consilia, & non ex te: & perficerem cogitationes, sed non ex spiritu tuo. Nunc ergo rogo te Domine: ne repellas contritum & humiliatum, miserum & abiectum: qui nomen tuũ suppliciter inuocat. Reuertere aliquantulum Domine Deus, & exorabilis esto super sceleribus meis. Ne facias mihi iuxta peccata mea: & secundum iniquitates meas ne reddas mihi. Veniant preces meæ ante vultum tuum: & iuxta promissa tua recipias me in gratiam tuã. Tuus enim ego sum, pater iuste, quem precioso sanguine suo redemit vnicus tibi natus. Etiam abominatur anima mea vitam meam, & te iudicem omnium veniam peto. Humilio me sub potẽti manu tua: quoniam cùm iratus fueris, misericordiam facis: & in

Esa. 30.
Psal. 50.
Psal. 78.
1. Pet. 5.
Tob. 3.

tempo-

tempore tribulationis peccata dimittis. Et ego peccatorem me confiteor, obsecrans te Domine Deus meus, pro bonitate tua: vt facias mecum iuxta magnam misericordiam tuam. Confundor & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam delicta mea ascenderunt in conspectum tuum. In te, in te, pater peccaui: & quod malum est in oculis tuis, admisi: multa est iniquitas mea coram te. Et quare morior Domine in peccatis meis: cùm tibi non sit voluntas, vt moriatur impius: tantùm vt reuertatur & viuat? Tu etenim es bonus & propitiabilis, qui etiam indignos saluas, iuxta magnam misericordiam tuam. Quanquam enim insustentabilis est ira comminationis tuæ super peccatores, immensa tamē est & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ: quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis & multùm misericors. Tu fecisti misericordiam in millibus à retro temporibus, quo magnum redderes nomen tuum, quemadmodum etiam nunc permanet. Patres

Ezech. 18.

2. *Par.* 36.

Psal. 102.

Exod. 20. & 34.

Psal. 21.

antiqui in angustijs suis ad te clamauerunt, & tu liberasti eos: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Cùm non haberent vltra quod agerent, hoc tamen restabat, vt oculos suos ad te dirigerēt. Saluasti eos propter nomen tuum: vt ostenderes in eis fortitudinem tuam. Multis vicibus prouocabāt te in iniquitatibus suis, & ad iracundiam concitauerunt bonitatem tuam: & cùm tribularētur, eosque supplices tibi vidisses, recordatus pacti tui, pœnituit te iuxta multitudinem miserationum tuarū. Miserere mei quoque ô Deus, miserere mei: nam miser & infœlix ego sum. Sana animam meam quia peccaui tibi. Anima mea vehementer turbata est, & tu Domine quousque nō respicies? Illumina oculos meos, diutius enim obdormiui morte: & præualuerunt aduersum me iniquitates meæ. Reuertere Domine, reuertere, vt eripias animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Et omnia ossa mea dicēt: Domine quis similis tibi? Tibi gloria in sæcula. Amen.

2. Par. 20. *Psal 40.* *Psal. 6.* *Psal. 12.*

ALIA

ALIA PRO REMISSIONE *peccatorum: per eundem Episc. Roffens. col lecta.*

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Ne iacias ad me tela tua. neque aggraues super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ, nulla mihi pax à facie peccatorum meorum. Iniquitates meę supergressę sunt caput meũ: & velut pondus immane me premunt. Domine notum est tibi desiderium meum, & necessitas mea te minimè latet. Propitius esto peccatis meis, propter temetipsum ô Deus: & scelera mea coram te deleantur. Miserere mei, miserere mei: & noli diutius mecum irasci propter nomen tuum magnum. Et propter nomen sancti filij tui IESV, quẽ misisti propitiationem pro peccatis nostris, per fidem in sanguine suo: propitius esto mihi peccatori. Ecce pater sancte: ecce puerum tuum, quẽ elegisti, ponens Spiritum tuum su-

Psal. 37.

Dan. 3.

1. Ioan. 2.

Rom. 3.

Luc. 18.

Esa. 42.

Esa. 61.

per eum: & mittens eum vt euangelizaret pauperibus, & sanaret contritos corde: vt consolaretur omnes lugentes, & prædicaret captiuis indulgentiam. Ecce paruulum tuum, qui natus est nobis: cui etiam non pepercisti, sed pro nobis omnibus in mortem tradidisti, oblationē & hostiam in odorem suauitatis. Verè lāguores nostros ipse in corpore suo tulit, & dolores nostros ipse portauit. Infirmatus est propter peccata nostra, & vulneratus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ irruit super eū, & liuore eius vulnera nostra sanata sūt. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viā suā declinauit: & tu Domine posuisti in eo iniquitates omnium nostrū, percutiens ipsum propter scelera populi tui. Corpus suum dedit percutientibus, & genas vellētibus: faciē suā non auertit ab increpantibus & cōspuentibus in eū. In dilectione & misericordia sua perditos nos redemit: pacificans per sanguinē crucis suæ, quæ in cęlis, & quæ in terris sunt. Tradidit in mortem animam

Esa. 9. Rom. 8. Ephes. 5. Esa. 53. Esa. 50. Esa. 63. Eph. 2. Esa. 53.

ſuam, & pro trãſgreſſoribus preces effudit. Reſpice clemẽtiſſime Pater, quiſnam ille qui paſſus eſt: & reminiſcere, obſecro, pro quibus paſſus eſt. Hic eſt enim innocens ille, quem cùm eſſemus peccatores, ad mortem dediſti: num non multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum? Si reconciliati tibi ſumus, cùm adhuc inimici eſſemus, per mortem filij tui: an non multò magis reconciliati, ſalui erimus in vita ipſius? Ecce agnum immaculatum, qui peccata mundi tollit: cuius pretioſo ſanguine redẽpti ſumus de iniquitatibus noſtris. Ecce mitiſſimum, innocentem: qui tanquam ouis ad occiſionẽ ductus eſt: & dum malè tractaretur, os ſuum non aperuit: Qui cùm in forma Dei eſſet, nec rapinam arbitratus, eſſe ſe æqualem Deo: exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, & in ſimilitudinem carnis peccati veniens, damnauit peccatum in carne: humilianſque ſemetipſum, tibi pater factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem au-

Eſa. 53. *Rom. 5.* *Ioan. 1.* *Phil. 2.* *Rom. 8.* *Phil. 2.*

tem crucis:atque illic chirographũ, quod aduersum nos erat decreti, delebat: & tollens illud è medio suffixit cruci: in qua expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso. Expia me ô Pater sancte, per sanguinem testamenti æterni, filij tui dilecti: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & redemit nos ab omni iniquitate. Purifica cor meum per sanctificationem spiritus tui, & aspersionem sanguinis filij tui: ab omni immunditia peccati, & conscientia mala: & iniquitatum mearum ne memorsis amplius. Quoniã Deus es tu, bonus & misericors, ac patiens erga nos; nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Secundum misericordiam tuam magnam, memor esto mei tu propter bonitatem tuam Domine. Ne ponas vultum tuum aduersum me in malum: quoniam nullus est, qui audet pro me testimonium dicere. Nec ineas iudicium cum seruo tuo: te enim accusatore numquam absol-

Heb 13. *Apoc 1.* *Tit. 2.* *1. Pet 1.* *Heb. 9.* *Ioel. 2.* *2. Pet 3.* *Psal. 24.* *Iob 9.* *Psal. 142.*

uar.

uar. Etenim si iniquitates attendas Domine: Domine quis non cadet in conspectu tuo? Hoc pro certo est, quòd coram te nemo viuens iustificabitur. Cùm aduersus Angelos tuos peruersi quid reperisti: quantò magis in homine, qui est abominatio & fœtor: & domum inhabitat luteã, & bibit sicut aquas iniquitatem? Sed quoniam tecum est propitiatio: spes mea in te Domine Deus, cui fidit anima mea. Anima mea te expectat: quoniam tecum est misericordia, & copiosa apud te redemptio. Vniuersæ viæ tuæ misericordia. Quàm mitis est parens in pueros suos, tam mitis est Domine erga timentes te: & pro abundãtia misericordiæ tuę, indulges infirmitatibus nostris. Agnoscis figmentum tuum: recordaris quales sumus: nempe, nullius firmitatis. Miserere mei ô Domine DEVS salutis meæ propter gloriam nominis tui libera me: & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum. Pater iustè, ne attendas multitudinem iniquitatum mearum: sed respice in faciem Christi filij tui san-

Iob. 4.
Psal 129.
Psal 24.
Psal. 102.
Psal. 77
Psal. 83.

cti qui peccatum non fecit, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignũ crucis. Auerte faciem tuã à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam de salute tua: & spiritu potenti confirma me. Ne auertas faciẽ tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor esto mihi, ne deseras me: neque despicias me ô Domine Deus meus. Amen.

Esa.53. *1.Pet.2,* *Psal.50.* *Psal.26.*

ALIA EIVSDEM.

FOrtissime Deus spirituum, & vniuersæ carnis: cuius iudicia inscrutabilia sunt, & sapientia profunda. Exaudi preces serui tui: & ne repellas obsecrationes figmenti tui. Ad te animam meam conuerto: ad te oculos meos dirigo. Auertatur, obsecro, ira tua à me: & da vt inueniam gratiam corã oculis tuis. Secundum magnitudinẽ misericor-

Iob.12. *Rom. 11.*

diæ tuæ, remitte vniuersa peccata mea. Ab omnibus sceleribus meis eripe me: sana animam meam, quæ in te peccauit. Verè peccaui in te Domine Deus: & vsq; in præsenté dié, macula sceleris mei permanet mecum. Dereliqui te Deum factorem meum: recessi à Deo saluatore meo: & sicut taurus recalcitrãs iugo suo, rebellis sum tibi. Aggrauatum est iugum transgressionum mearum: eleuatum est, & implexum collo meo. Tu locutus es, & audire nolui: tu vocasti me, nec respõdi: non credidi verbis tuis, nec sustinui consilium tuum. Peccaui coram oculis tuis: & propterea instabilis facta est anima mea. Te enim deserui fontem aquarum viuentium: vt foderem mihi conculcatos puteos & lutosos: qui non habent aquas. Et in omnibus his non sum reuersus ad te: neque faciem tuã precatus sum, vt recederem à vijs meis prauis. Vide domine & intuere, quã vilis factus sũ: perijt à me omnis decor meus: vt te iam prorsus aspicere non possim.

Psal. 24.

Deut 32

Thren. 1

Hier. 2.

Hier. 3

Thren. 1

Et nulla fuit causa, vt te desererem: & vanus vana sectarer. Domine miserere mei, & exaudi preces meas: quoniā tu es Deus meus, & absq; te non est Saluator. Auertatur furor tuus à me: nec deuastes me propter peccata adolescētiæ meæ. Peto obsecrās te Domine remitte mihi: remitte propter magnā misericordiā tuā. Domine Deus exercituū, si decreueris saluare, quis poterit resistere? Si extendas manum tuam: quis te auertet? Tu instar figuli potes mihi facere: ecce ego in manu tua, perinde atque lutum in manu fictoris. Emenda me Domine: sed in misericordia, nō in ira tua: ne me in nihilum redigas: vt intelligam & cognoscam, quàm perniciosum sit atque noxium, deserere te Dominum Deum meum: & timorem tuum à me repellere. Nullus est, qui potest sanare me, neque mederi plagæ meæ: nemo qui liberet me, præter te Domine: qui vulnera infers & sanas: percutis & curas. Perditio mihi ex me ipso: tantummodò in te auxilium meum, & salus mea. Conuerte me Domine, &

2. Par. 36. *Hest. 13.* *Eccle. 33.* *Hier. 10.* *Hier. 2.* *Deut 32.* *Tob. 13.* *Oseæ 13.*

con-

conuertar: aufer à me cor malignũ, vt faciat in me lex tua fructum. Memor esto mei, propter bonitatem tuam Domine: tu enim misereris omnium, quia omnia potes: & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia quæ sunt, & nihil eorum odisti quæ facta sunt: non enim per odium aliquid fecisti, aut constituisti. Parcis autem omnibus, quia tua sunt omnia, qui amas animas. [Sap. 11.] Vidisti Domine facinora mea: suscipe causam meã, recordare quàm vilis factus sum: respice & cõtemplare opprobrium meum. [Thren. 5.] In tempore reconciliationis exaudi me: & in diebus salutis miserere mei. [Esa. 49.] Miserere mei, miserere mei, nullum aliud auxilium habentis, præter te: cuius voluntati nihil resistere potest, dummodò decreueris saluare. [Hester. 13.] Exaudi me miserum tibi supplicantem: attende de cœlo, respice de habitaculo sancto tuo, & de solio gloriæ tuæ. [Esa. 63.] Ne allidas me in manu iniquitatis meæ: nec obliuiscaris doloris & afflictionis meæ. Ne irascaris Domine: ne recorderis vl-

tra iniquitatis meæ. Veniat ad te oratio mea: dic animæ meæ, en ego ſalus tua iam adſum.

D. CYPRIANI EPISC.

Et Mart. Pro remiſsione peccatorum precatio Chriſto IESV Domino noſtro.

CLementiſſime Magiſter, Domine IESV Chriſte, quoties ego doctrinæ tuę tranſgreſſus ſum regulas: quoties edicta tua Domine ſancte contempſi. Et cùm diceres mihi, reuertere, non ſum reuerſus: cùm minareris, nó timui: cùm bonus eſſes & lenis, exaſperans fui: vltra ſeptuagies ſepties in cœlum, & corã te peccaui. Quis tot ſordes abluet? quis abradet ſtercora conglobata? Neceſſe eſt vt ipſe nos ablùas: neque enim lauare nos poſſumus: ſed in omnibus, quæ agimus, indulgentiæ tuæ lauacro indigemus. Quia verò apud te fons vitæ eſt: & miſerationum, quæ à ſæculo ſunt, profunditas infinita: quos abluiſti Baptiſmo, quos lauaſti ſanguine tuo, quos ſemper lauas peccata quotidiana donando:

Serm. de Ablatione pedum.

Luc. 15

Pſal. 35.

trans-

transfer à paludibus sæculi huius, & luto vitæ præsentis, ad purgatissimũ gloriæ tuæ regnum: vbi nemo immundus, vbi nullo amplius opus est lauacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore nostro, secundum promissa tua, necesse est impleas: & qui incœpisti in nobis opus bonum, perficias, solidesque. Amen.

Psal. 1.
Phil. 1.

D. AVGVST. AD CHRIstum pro remissione peccat. Precatio.

DOmine IESV Christe, fili DEI viui, qui expansis in cruce manibus, propter mortalium omnium redemptionem, hausisti calicem passionis: mihi hodie præbere digneris auxilium. Ecce pauper venio ad te diuitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus aut cõtemptus: esuriens incipio, ne desinam de te ieiunus: famelicus accedo, ne recedam impastus. Ecce Domine, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: & nisi tu, cui proprium est

Meditat. cap. 39.

Psal. 37.

misereri semper & parcere, dexteram tuæ Maiestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Ecce insultat aduersum me inimicus, dicens: Deus dereliquit eum, persequar & comprehendam eum: quoniam non est qui eripiat. Et tu Domine vsquequo? Conuertere & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Placare obsecro, & miserere mei: & non auertas faciem tuam à me, qui pro me redimendo non auertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuẽtibus in te. Fateor quia peccaui: & cõscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quòd misericordia tua superat omnem offensionem. Noli quæso pijssime Domine scribere aduersum me amaritudines, vt intres in iudicium cum seruo tuo: sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Psal 70. *Psal. 6.* *Psal. 101.* *Esa. 50.* *Iob. 13.* *Psal. 142.*

Tu Domine IESV, non vis mortẽ peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imô vt mortui vi-

Ezech. 18. *Sap. 3.*

uerent, tu mortuus es, & mors tua peccatorum mortem occidit. Et, si ipsi te moriente vixerunt: obsecro Domine, vt ego te viuente non moriar. Et quis bone IESV vnquam de tua misericordia diffidat? Quoniam cùm inimici essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo. Ecce sub tuæ misericordiæ vmbra protectus, ad thronum gratiæ veniam postulans curro: clamans & pulsans, donec miserearis mihi. Si enim ad veniam nos vocasti nō quęrentes, quantò magis veniam impetrabimus postulantes? Ne memineris dulcissimè IESV tuæ iustitiæ aduersus peccatorem tuum: sed esto memor benignitatis tuæ aduersus creaturam tuam. Ne memineris iræ aduersus reum: sed memor esto miserationis tuæ aduersus miserum. Obliuiscere superbum prouocantem: & respice miserum inuocantē. Quid enim est IESVS, nisi Saluator? Ergo IESV per temetipsum exurge in adiutorium mihi, & dic animæ meæ: salus tua ego sum. Multum Domine de tua bonitate præsumo: quia

Rom. 5.
Heb. 4.
Psal. 122.
Matth. 11.
Matth. 1.
Psal. 34.

tu ipse doces petere, quærere & pulsare: & ideo tua oratione admonitus peto, quæro & pulso. Et tu Domine qui iubes petere, fac accipere: consulis quærere, da & inuenire: doces pulsare, aperi pulsanti. Et confirma me infirmũ: restaura me perditũ: suscita me mortuũ: & omnes sensus meos, cogitatus & actus dirigere & gubernare digneris in beneplacito tuo: vt de cætero tibi seruiam, tibi viuam, tibique me tradam. Trahe me ad te: vt tuus sim imitatione & dilectione, sicut tuus sum conditione. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Luc. 11.

ALIA, EIVSDEM.

MAnus tuæ Domine fecerũt me, & plasmauerunt me: manus vtique illæ, quæ affixæ sunt clauis pro me. Opus manuum tuarum Domine ne despicias: & vulnera manuum tuarum, precor aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me. En ad te suspiro creatura

Soliloq. cap. 2.

Esa. 49.

tua: Creator es, recrea me: Ad te clamo factura tua. Vita es, viuifica me. Ad te respicio tuum plasma. Plasmator es, restaura me: Parce mihi Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, vt possit alloqui Deum factorem suum? Parce mihi. Aegrotus sum, ad Medicum clamo: cæcus sum, ad lucem propero: mortuus sum, ad Vitam suspiro. Tu es Medicus, tu Lux, tu Vita IESV NAZARENE: miserere mei fili Dauid: miserere mei fons misericordiæ: Audi, qui ad te clamat, infirmum: Lux quæ transis, expecta cœcum: præbe ei manum, vt ad te veniat, & in lumine tuo videat lumen. Amen.

Iob 7.

Luc. 18.

EIACVLATIO
eiusdem.

RESpice me Domine IESV, & miserere mei: quia dolores cordis mei multiplicati sunt. Da mihi consolationem tuam cœlestem: & noli spernere peccatricē animam, pro qua mortuus es.

Meditat. cap 36.

D. BERNARDVS AD Christum Dominum N.

Serm.22. super Cantica.

OMnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur: currimus post te Domine IESV: audientes, quòd non spernas pauperem, peccatorem nõ horreas. Non horruisti confitentem latronẽ, non lacrymantem Peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non orantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. Fiat Misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te. In te Domine speraui, non confundar in æternum. Amen.

Luc.23 Luc. 7 Matth.15 Ioan.8 Matth 9 Luc.18 Luc.22 1.Tim. 1 Luc. 23 Psal 32.

ALIA, AD CHRISTVM.

Ex Hort. animæ.

COnditor cæli & terrę, Rex regũ, & Dominus dominantiũ: qui me ex nihilo ad imaginẽ & similitudinem tuam fecisti, & Sanguine proprio redemisti: quem

ego peccator non sum dignus nominare. Te suppliciter oro: vt clementer me seruum tuum respicias. Miserere mei: qui misertus fuisti mulieris Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui pepercisti latroni in cruce pendenti: Parce mihi Domine: parce mihi Christe: Tu es Creator meus, & Redemptor meus: Rex meus & Deus meus: Tu es spes & fiducia mea: Vita, Salus & Resurrectio mea: Domine, ne me despicias. Seruus tuus sum: quãuis malus, quãuis indignus peccator: sed qualiscũq; sũ, tuus sum. Ad quẽ ergo fugiã, nisi ad te? si tu me eijcis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? Agnosce me dignum: ad te cõfugiẽtem. Immundus sum: sed tu potes me mundare. Cæcus sum: sed tu potes me illuminare. Infirmus sum: atqui tu potes me sanare. Mortuus sũ: sed potes me viuificare. Et plus potes dimittere, quàm ego committere: plus potes parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo attendas Domine multitudinem iniquitatum mearum, sed secundum mul- *Psal. 50*

titudinem miserationum tuarum, miserere mei: & propitius esto mihi miserrimo peccatori. Dic animæ meę salus tua ego sũ. Tu dixisti, nolo mortem peccatoris: sed magis vt cõuertatur & viuat. Conuerte me Domine ad te: & noli irasci contra me. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas, &c.

Luc. 18
Psal. 34
Ezech. 18.

GRATIARVM ACTIO PRO *longanimitate & patien tia* DEI.

Ex Euchologo Georg. Vvicelij.

BEnedico te Domine lenẽ & patientem: qui quotidie me peccantẽ patienter toleras: dasq; omnibus nobis pœnitendi copiam. Nam huius gratia, & tacens toleras nos, vt te glorificemus: qui humani generis salutem dispensas, nunc quidem castigationis metu: aliquando per Prophetas, tandem per aduentum Christi filij tui nos inuisẽs. Tu enim nos creasti: non nos ipsi. Tu es Deus noster. Ego quidem Domine, nõ sum dignus, qui ad te loquar, quia peccator permagnus sum: imò peior sum omnibus peccatoribus, transgre-

diens præcepta tua. Gratias ago tibi Domine, quòd peccata mea longanimiter tulisti: & adhuc vsq; diem supplicium de me non sumpsisti. Eram ego dignus, qui iam olim innumerabilibus malis affligerer, & à facie tua abijcerer: at patientia illa & benignitas tua leniter mecum ac toleranter egit: cuius nomine tibi gratias ago: etsi idoneus non sum, qui tantæ tuæ patiétiæ sufficientes gratias agere queam. Tibi laus & gloria semper. Amen.

PSALMVS CII.

Est insignis Gratiarum actio, quæ fit Deo: cùm pro omnibus Beneficijs spiritualibus & corporalibus: tum præcipuè, pro sua Misericordia & longanimitate, & peccatorum remissione.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quę intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitã tuã: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens miſericordias Dominus: & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias ſuas Moyſi: filijs Iſrael voluntates ſuas.

Miſerator & miſericors Dominus: longanimis & multùm miſericors.

Non in perpetuum iraſcetur nobis: neque in æternum comminabitur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra: corroborauit miſericordiam ſuã ſuper timentes ſe.

Quantum diſtat ortus ab occiden-

te: longe fecit à nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur pater filiorũ, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt quoniam puluis ſumus: homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Miſericordia autem Domini ab æterno: & vſque in æternum ſuper timentes eum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum: his qui ſeruant teſtamentum eius.

Et memores ſunt mandatorũ ipſius: ad faciendum ea.

Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius.

Benedicite Domino omnes vir-

tutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicete Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima Domino.

POENITENTIA VERA quæ sit, & quid requirat. Admonitio.

August. Serm. 3. in Natali Domini.

MVlti aßiduè se dicunt peccatores esse: & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeßio est, nō emēdatio. Accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odiū peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente. Iam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Dic illi in fletu cordis:

Aspice ad infelicem, pietas immēsa: respice ad crudelē, misericordia publica. Desperatus ad omnipotentē venio: vulneratus ad medicū curro. Serua pietatem mansuetudinis,

qui tam diu suspendisti gladium vltionis: dele numerositatem criminum, multitudine miserationum.

Ista est filioli vera Pœnitentia, quãdo sic conuertitur quis, vt nõ reuertatur: quando sic pœnitet, vt non repetat.

D. IOANNES CHRYSOST. Homil. 2. in Psalm. 50.

FVndant oculi lacrymam, redi ad conscientiã tuam: considera temetipsum, propone ante oculos iudicij diem, & paradisi delitias, quæ præparantur Sanctis. Occidisti, sed pœnitere: mœchatus es, sed cõfitere: cecidisti, sed resurge: vulneratus es, adhibe tibi curam dum viuis, dum spiras, etiam in lecto positus: etiã, si dici potest, prope animam efflans. Pœnitere: nõ impeditur temporis angustia, misericordia Dei. Hæc dico, non vt negligentiores vos faciam charissimi: Sed vt ad fidẽ salutaris expectationis adducã. Nunquam desperetis de nobis: Sed de Dei misericordia confidite. Desperate potius de illo, qui de se desperauerit: qui reuocare pedem non vult: qui Dei præcepta contemnit & despicit: & se non putat esse moriturum.

PARAENESIS, SEV EXhortatio ad vitæ emendationem pia valde.

Reperitur in operibus S. Brunonis: sed prolixior.

Iac. 3. 2 Cor. 7. Rom. 13.

Psal. 94.

QVia in multis offendimus omnes has habentes promißiones, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Abyciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. Emendemus in melius, quòd ignoranter seu negligenter, aut ex infirmitate carnis peccauimus. Procidamus ante Deum: quia misericors est, & præstabilis super malitia: ploremus corā Domino, qui fecit nos: & ante pedes Maiestatis & incomprehensibilis Bonitatis eius humiliter prouoluti dicamus.

PRECATIO.

Sap. 1. Ezech 18 & 33.

OMnipotens æterne Deus: qui omnipotentiam tuam parcēdo maximè & miserando manifestas: qui non lætaris in perditione morientium: nec vis mortem pec-

catorum,

catorum, sed magis vt conuertatur & viuat: exaudi preces seruorum tuorum, & ne despicias nos propter multitudinē peccatorum nostrorū: nec contineas in ira tua misericordias tuas. Peccauim⁹, iniustè egimus, iniquitatem fecimus: & indignationem tuam iustè meruimus. Tu tamē pius & misericors es. Et quanquam peccata nostra multa & magna sunt: maior tamen est misericordia tua, quia infinita. Non igitur in æternum irascaris nobis: sed super nos extende misericordiam tuam magnam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum respice in nos: dele iniquitates nostras. Quòd si peccata nostra tanta ac talia sunt, Domine DEVS noster, vt separent inter te ac nos: nec permittant preces nostras præsentari ante thronū gratiæ tuę: exaudi saltem ADVOCATVM nostrum, quem habemus apud te, DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM filium tuum: qui est PROPITIATIO pro peccatis nostris: & non tantùm pro nostris, sed & pro totius mundi: qui & inter-

Dan 9.

Psal. 50.

Esa. 59.

1 Ioan. 2.

pel-

lat pro nobis. Respice Domine plagas & vulnera, quæ pro nobis in arca crucis sustinuit; & inuenies in sinu eius pretium redemptionis nostræ: & in manibus eius probatam pecuniam, quam pro redemptione nostra obtulit in thesauris tuis, & expēdit in gazophylacio crucis suę. Exaudi Spiritum sanctum: qui adiuuat infirmitatem nostram. Domine Deus, absolue nos à peccatis nostris: & pœnam, quam pro eis meremur, clementer indulge. Tu dixisti: quòd quacunque hora ingemuerit peccator, non recordaberis amplius iniquitatum eius. Ne igitur irritum facias pactum tuum nobiscum; sed auerte faciem tuam, non à nobis, sed à peccatis nostris. Et ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: sed propitius esto peccatis nostris, propter nomen sanctū tuum: citò anticipent nos Misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui libera nos. Infunde nobis

Rom. 8. *Ezech. 33.* *Psal. 50.* *Psal. 78.*

munus,

munus Gratiæ tuæ, quæ nos vbique comitetur: vt in omnibus, & per omnia, dirigente te & conseruante, possimus fructus dignos pœnitentiæ facere: mundi huius prospera despicere, & aduersa eius patienter tolerare. Da nobis veram Fidem, Spem firmam, Charitatem perfectam: & omnes sensus nostros, & actus, in viam mandatorum tuorum dirige: vt ad te venire valeamus. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 6.

IX.

PRECATIONES ADVERSVS TENTATIONES ET peccata.

MATTHAEI XXVI.

Vigilate & orate: vt non intretis in Tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

D. CYPRIANI EPISC.

Et Mart. aduersus insidias huius sæculi, Precatio, Deo Patri Opt. Max.

DOMINE PATER, te oramus: vt tribuas nobis mentem integram, innocentiam, synceritatem deuotam, conscientiã sanctam, puram, sobriam, castam: contra omnes insidias sæculi gloriosa fide degentem: contra diaboli minas, & carnales illecebras munitum

tum pectus concedas: vt ſignum ſalutis æternæ incolume proferamus. Pelle à nobis omnem ſæculi illuuiẽ: omniſq; diaboli perſuaſio liqueſcat, recedat à nobis, & amoueatur: ſicut à Sara famula tua Aſmodæus dęmon nequiſſimus, extinctus per Angelũ tuum Raphael. Et ſicut Tobiæ affuiſti: ita & mihi adeſſe digneris. Et vt tribus pueris in camino, & Danieli miſericordiam præſtitiſti: ſic circa nos famulos tuos facere digneris.

Tob. 8.

Dan 6. 14.

Alia Eiuſdem Chriſto.

QVi mortuos ſuſcitaſti, & cęcos illuminaſti, ſurdis auditũ, mutis eloquia, claudis greſſũ, leproſis ſanitatem dediſti: ita & da famulis tuis, qui te tota virtute mentis credimus natum, paſſum, venturum iudicare viuos & mortuos: aſſiſte nobis, ſicut Apoſtolis in vinculis, Teclæ in ignibus, Paulo in perſecutionibus, Petro in fluctibus. Qui ſedes ſuper ſeptem thronos ad dexteram patris, reſpice nos: & libera nos de æternæ mortis interitu: vnus in vno, pater in filio, filius in patre, Spiritus S.

Act 9.

Matth 14.

per quem & cum quo est tibi in sancta Ecclesia, honor, virtus, claritas, maiestas, potestas, benedictio, immortalitas, & nunc & in æternum: semper & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

Contra Tentationes, D. August. precatio.

Soliloq. c. 16

ADiuua nos Domine Deus: prætende alas tuas super nos, vt fugiamus sub eas, à facie Draconis diaboli, qui nos persequitur: & scuto tuo libera nos à cornibus eius. Hoc est enim cõtinuum studiũ eius, hoc vnicum desiderium: vt animas, quas creasti, deuoret. Et ideo Deus meus ad te clamamus: libera nos ab aduersario nostro, qui omnibus modis instat die ac nocte, sagittas venenatas contra nos dirigens, vt interficiat animas nostras. Et tamen Domine pessima insania nostra: quia cùm continuè videamus contra nos diabolum ore aperto ad deuorandum: tamen dormimus & lasciuidum: tamen dormimus & lasciuimus in pigritijs nostris, tãquam securi ante eum, qui nihil aliud desi-

derat, quàm vt nos perdat, O DOMINE libera nos de laqueo venantium, & à verbo aspero: vt cõfiteamur tibi dicentes: Benedictus DOMINUS, qui non dedit nos in captionem dẽtibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est, de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

ALIA EIVSDEM.

DOMINE DEVS adiuua me, ne corruam in conspectu aduersariorum meorũ: captus laqueis eorum, quos parauerunt pedibus meis. Erue me virtus salutis meæ. Exurge & dissipentur inimici tui. Extende alas tuas, vt fugiamus sub eas à facie inimici. Turris fortitudinis Israel, qui non dormitas neque dormis custodiens Israel: quia non dormit neq; dormitat hostis, qui impugnat Israel.

Soliloq. c. 21

(*⋆*)

CONTRA CAPITALIA *Precationes Christo.*

ADVERSVS SVPERBIAM.

Io. Coletus. 2. Pet 2. Matth. 11 Phil. 2.

DOmine IESV Christe, qui peccantium angelorū Superbiam terribili deiectione punisti, & à te Humilitatis nos exemplum sumere voluisti: cùm in forma Dei, æqualis æterno Patri Deo formam serui accipiens humiliares temetipsum, factus obediens vsq; ad mortē, mortē autem crucis: Tolle à nobis omnem Superbiam, & mētis tumorem: vt in re nulla gloriantes, præterquam in te, neminemq; despicientes, submissè de nobis sentiamus: teque solum humili corde celebremus. Et si quid boni habere videbimur: non à nobis sed à te descendere, perenni omniū bonorum fonte, agnoscentes; non nobis, sed nomini tuo gloriam demus. Qui cum Patre & S. S. viuis & regnas, &c.

Luc. 18.

Psal. 113.

Aduersus Auaritiam.

Iac. 1. Matth. 6. Luc. 6. 16.

OMnis Dati optimi, & omnis Doni perfecti liberalissime

largitor Deus, qui eleemosynarum largitiones nobis assiduè commendasti: Inclina cor nostrũ in testimonia tua, & non in Auaritiam: & da nobis temporalia pro nomine tuo libenter tribuere & liberaliter cõmunicare. Cupiditatẽ, quæ omnium malorũ radix est, à cordibus nostris euelle: vt aliena non appetentes, propria autem, nõ ex tristitia aut necessitate, sed plena & lęta manu largiẽtes: sicut hilares datores à te diligi, paratumque à constitutione mundi Regnum percipere valeamus. Qui cum Patre & S. sancto viuis & regnas Deus, &c.

Act. 20. Psal. 118. 1. Tim. 6. 2. Cor. 9. Eccl. 35. Matt 25.

Aduersus Gulam.

DOmine IESV, qui vt salutarem abstinentiam nobis verbo & exemplo commendares, carnis nostræ mortalitate assumpta, quadraginta diebus & totidem noctibus ieiunasti: & non in solo pane, sed in omni verbo, quod procedit de orę Dei, hominem viuere docuisti: Da faucibus nostris mellifluum Eloquiorum tuorum gustum, quæ sunt

Matth. 4. Deut. 8 Psal. 118. Psal. 18.

dulciora super mel & fauum : vt cibos delicatos, & exquisitas epulas, tanquam Gulæ irritamenta respuentes, simplici victu, eoque moderato, contenti simus: sicque nulla cibi potusve suauitate illecti, vel modum excedamus, vel obliuiscamur tui Domini nostri. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Aduersus Libidinem.

Matt. 1. Luc. 1.

DOmine Adiutor & Protector noster, pudicitiæ amator : qui vt munditiam tibi maximè placere ostenderes, ex mundissimo virginis Matris vtero carnem humanam adsumere dignatus es: Respice propitius fragilitatem nostram: & da nobis carnis nostræ concupiscentiam Continentię freno cohibere: & omnia libidinis incitamenta, & carnem ipsam timore tuo configere : vt hoc domestico hoste deuicto, tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus. Qui cum Patre & S. S. viuis & regnas &c.

Psal. 118.

Aduerſus inuidiam.

CHaritatis ſpeculum Domine IESV, qui amore Dei & proximi, vniuerſa legis præcepta concludis: Da nobis te Deum & redemptorem, toto corde, & tota anima, menteque tota diligere: quando tu tantopere nos prior dilexeris, vt animam tuam pro nobis dederis. Deinde vt proximos noſtros ex intimis amemus viſceribus, effice: illũque ſolum odio habeamus, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum: vt de proximorum proſperitate gaudentes, illorumque aduerſitati condolentes, de nullius infœlicitate lætemur: ſed omnibus Inuidiæ ſtimulis neglectis, ad te, qui vera es Charitas, perueniamus. Viuentem & regnantem in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 22
Ioan. 15.
Sap. 2.
Rom. 12.
1. Ioan. 4.

Aduerſus Iram.

MItiſſime IESV, qui vt agnus mãſuetus, qui portatur ad victimam, & ſicut ouis ad occiſionem ductus, non aperuiſti os tuũ: ſed illũ

Matt. 11.
Ioan. 1.
Hier. 11.
Iſa. 53.

sus,percussus,& denique cruci affixus,non modò malum pro malo nó reddidisti:sed insuper pro trangressoribus Deum Patrem orasti: Insere pectoribus nostris Mansuetudinis & Patientiæ virtutem:vt Iræ furoré comprimentes mansueto corde malum in bono vincamus, & inimicos nostros diligamus: quò beneficentia nostra, tanquam ardentibus prunis incensi, ad mutuum inflammentur amorem : atque ita simul te Deum nostrum pari studio colamus: & æternum præmium,te largiente, consequamur. Qui viuis & regnas &c.

Matth.5 Rom 12 Luc. 23 Matth.5 Prou.25 Rom. 12

Aduersus Acediam.

DOmine IESV, qui nullum fugiens laborem, nostri causa fatigatus ex itinere,esuristi,sitisti,atq; etiam pernoctasti in oratione Dei: Exime nobis omnem torporem : vt ad tibi seruiendum in vigilijs, ieiunijs & orationibus simus alacres,ac nos totos ad tuam gloriam proximorum saluti exponamus: vt non pigeat nos pro Gratiæ tuæ dono, esurientes pascere, sitientes potare,

Ioan 4. Luc.6 Matth 25

nudos operire, hoſpitio peregrinos excipere, ægrotos inuiſere, captiuos redimere, mortuos ſepelire, mœſtos conſolari, peccantes corripere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, offenſas remittere, iniurias patienter ferre: & pro ſalute aliorum te Deũ & Dominum noſtrũ orare. Accende in nobis ignem tuæ Charitatis, noſtramque imbecillitatem perfice: vt in te, & per te corroborati, quòdcunq; poteſt manus noſtra, inſtanter operemur: quò glorioſum bonorum laborum fructum conſequamur. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: Qui cum Patre, & S. S. viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tob. 1
1 Theſ. 5
Rom 15
Eph 4
Coloſ. 3.
Matth 5
Eccl. 9
Sap 3
Pſal. 78.

Contra Hypocriſin Precatiuncula.

O Chriſte, bonitas vera, ſolida, ſine ſimulatione & ambitione: inſpira nobis eam mentem, vt tibi vni velimus nos approbare: nec alium ſpectatorem & iudicem quæramus actionum noſtrarum, nec curemus. Amen.

10. Lu. 11.

PSALMVS LXXXV.

Est Oratio communis omni vero fideli, pro impetranda vitæ innocentia: & liberatione à dæmonum Tentationibus & insidijs.

INclina Domine aurem tuam & exaudi me: quoniã inops & pauper sum ego.

Custodi animam meam quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuũ Deus meus sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lętifica animã serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Quoniam tu Domine suauis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascunque fecisti,

venient & adorabunt te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo: & saluũ fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me & consolatus es me.

IOAN. FISC. EPISCOPI *Roffens. Precatio contra Diaboli tentationes, dum conscientiæ mole premimur, ne desperemus.*

Exod.34 *Eph. 2.* DOminator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax: Qui *Colos. 1.* *Tit.3* propter nimiam charitatem tuā, & secũdum misericordiam tuam magnam, eripuisti nos de potestate tenebrarum: & saluos fecisti nos per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti: quem effudisti in nos abundè per Iesum Chri- *Thren 5* *Esa 63* stum Saluatorem nostrum. Quare in perpetuum obliuisceris mei, & deseris me in medio malorum meorum? Vbi nam est zelus tuus, & fortitudo tua: multitudo viscerum tuorum, & *Hier. 8.* *Hier.15* miserationum tuarum? Nunquid qui cecidit Domine, non resurget: aut qui auersus est, nõ reuertetur? Num dolor meus erit perpetuus? num desperabilis plaga mea? Domine: ecce *Psal.8.* quàm multi sunt, qui tribulant me: quàm multi, qui cõtra me insurgũt.

Dicunt

Dicũt inter ſeſe de anima mea: quòd à Deo non eſt ei ſalus ſperanda. Domine Deus in te ſpem meam poſui: ſalua me ab ijs, qui me perſequũtur, & eripe me. Ne forte aliquando rapiant animam meã, & nullus ſit qui eripiat. Mei te miſerat Domine: reſpice ad flictionem quam patior ab inimicis meis. Ad te Domine vociferor: tibi ſupplico, ô mi Deus. Pauor peccati ſolicitat me: & pondus conſcientię meæ me premit. Anxius eſt in me ſpiritus meus: in me deſperabũdum eſt cor meum. Miſerere mei, quoniam vndique premor: & virtus mea in iniquitate mea diminuitur. Apud inimicos meos opprobrium ſum factus: vt perdant animam meam, toti incumbunt. Circundant me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbant me. Amator hominum Deus, parce mihi: ego enim in te ſpero, qui ſaluos facis in te confidentes. O Domine Deus ſalutis meæ exaudi precem meam: & lingua mea miſericordias tuas loquetur. Fac mecum iuxta miſericordiam tuam: & non confundas me ab

Pſal 7.

Pſal. 142.

Pſal. 17.

Pſal. 118

expectatione mea. Exaudi me Domine propter nomen tuum: & ne contineas à me misericordiam tuã. Et benedicam nomẽ sanctum tuum in sempiternum: & in sæculum sæculi. Amen. *Psal. 144*

Alia contra desperationis malum: Christo.

MIsericordissime Deus, Peccaui in te: vnde mea meritò grauata est conscientia. Iniquitates meę supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Idcirco clamo ad te Domine: serua me in nomine tuo, ne in tentationibus despondeam animum. Conforta me, vt media in morte tibi fidam: & memor sim verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Dixisti enim: Nõ veni vocare iustos: sed peccatores ad pœnitentiam. Adauge mihi fidẽ: cõfirma spem: corrobora patientiã. Hoc enim certissimè verũ est, quòd vnica GVTTVLA SANGVINIS tui pretiosissimi, multò sit potẽtior & efficacior omnib⁹ peccatis meis, quamlibet enormibus. Quapropter

Psal. 37. *Psal. 53.* *Psal. 118* *Matth. 9* *Luc. 22.*

respi-

respice me oculis misericordiæ tuę: quemadmodum respexisti Petrum in atrio, postquam te abnegarat, & seipsum diris deuouerat: ne per diffidentiam à gratia tua excidam: sicut Iudas ille proditor. Nam & illum amicè alloquens, paratus eras suscipere. Adesto mihi nunc, & maximè in extrema necessitate mea: quando diaboli me accusabunt, atque Consciẽtia mea testificabitur cõtra me: quando mortis & inferni cogitatio subrepens exterrebit: quando periculis & tentationibus grauissimis circundatus ero: quando totus mundus me derelinquet: tunc tu me non deseras DOMINE, iuxta verbum tuũ. Cum ipso sum in tribulatione: sed obfirmes cor meum signaculo testimonij tui, vt indubitanter credam remissionem peccatorum: & memor sim fœderis tui mecum in Baptismo initi: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Perfunde omnes nos salutari lætitia æternæ vitæ: & morientes recrea suaui conspectu tuo: vt cum ingenti desiderio appetamus emigra-

Matth 27.

Rom. 2.

Psal. 90.

Hiere. 31.

Matth. 28.

tionem & consuetudinem tuam æternam: vbi tu viuis & regnas Deus in omni æternitate. Amen.

PSALMVS XII.

Est elegantißimus Psalmus: in quo queritur fidelis Deo, quòd succurrere differat: Deiq; fauorem & opem implorat, ne suo casu hostes eius exhilarentur, sed ipse potius seruatus in DEO lætetur.

VSquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me?

Quandiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in morte: ne quãdo dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.

Exultabit cor meũ in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

GRATIARVM ACTIO
pro liberatione ab inſidijs Diaboli.

EX PSAL. 117.

IMpulſus euerſus ſum vt caderẽ: & Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me.

Non moriar ſed viuam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Confitebor tibi quia exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

PRECATIONES

X.

PRO VIRTVTIBVS, ET alijs Dei donis: vt ijs à Deo exornemur.

2. CORINTH. 3.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.

PRO TIMORE ET AMORE Dei, *Precatio Ecclesiæ.*

SAncti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Christum, &c.

ALIA ECCLESIAE.

DEus qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas,

quæ omne desiderium superant, cõsequamur. Per Christum Dominum N. Amen.

Precatio pro fide.

OMnipotens æterne Deus, qui es Alpha & Omega, principiũ & finis creaturarum omnium: salutis nostræ causa & consummata perfectio: à quo omne datum optimum & omne donum perfectum. Ad te flecto genua cordis mei, Patrem D. N. IESV Christi: à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur: vt des nobis secundum diuitias gloriæ tuæ, virtutem corroborari per spiritum tuum in interiore homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris. Fac nos vigilare, stare in fide, viriliter agere & confortari. Succurre fidei nostræ imbecilli & languidæ: quæ in me sanè exigua est, instar grani Synapis: vt illa indies succrescens, in te radices agat: firma & immobilis permaneat semper, ne inter tot sectas & schismata huius mundi labascat aut deficiat. Da quoque ô Pater cœlestis, tuam gratiam, ne fides nostra sit nuda, ina-

Apoc. 1. *Iacobi. 1.* *Eph. 3.* *1. Cor. 16.* *Marc 9.* *Luc. 13* *Luc. 22.* *Iacob. 2.* *Gal. 5.* *1. Pet. 1.*

nis

nis & mortua, sine operibus & fructibus: sed efficax, & per charitatem operans: vt finem fidei reportemus, salutem animarum nostrarũ: vt te, quem nũc fide cognoscimus, & tamquam per speculum in ænigmate: conspiciamus in altero sæculo, facie ad faciem. Per Iesum Christum D. N. Amen.

1. Cor. 13

Precatio pro spe.

1. Pet. 1.

BEnedictus sis DEUS, Pater DOmini nostri IESV Christi: qui secundum misericordiam tuam magnam, regenerasti nos in spem viuã, per Resurrectionem filij tui ex mortuis: in hæreditatem incorruptibilẽ, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis. Nam hæc est diuina Voluntas tua: vt salutem quandiu hic sumus, non habeamus, nisi in spe, fouendo eam quasi in sinu clausam: tunc eam percepturi in re, cùm hinc migrabimus. Proinde tibi supplico æterne Deus, autor Spei: imple nos omni gaudio & pace in credendo: vt abundemus in spe, & virtute Spiritus sancti: adeòq;

Rom 15

Rom. 4

contra ſpem, in ſpem credamus: pleniſſimè ſcientes, quia quæcunq; promiſiſti, potens ſis & facere. In te ſperauerunt Patres noſtri: in te ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Idcirco & ego ſperabo in te Domine: & ab inimicis meis ſaluus ero. Bonus es tu ſperantibus in te: animæ quęrenti te, Viuentem & regnantem in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 21

Pſ. 17 & 117

Thren 3

PRECATIO PRO CHARITATE: *Chriſto.*

CHriſte fili Dei viui, qui perfecta es Charitas: & in ara crucis, diram pro nobis ſuſtinuiſti mortem, vt nos à perpetua morte liberares: noſque hoc tuo Exemplo inuitares ad mutuam charitatē: nam hac nota vis diſcerni Chriſtianos tuos ab alienis, ſicut dixiſti: In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli: ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Te rogo per flagrantiſſimam charitatem tuam accende corda noſtra frigida, affectu

Ioan. 13

Matth.22 veri amoris: vt te Deum vnum ex *Marc.12* toto corde & anima: ex totâ mente, *Lucr.10* & ex totis viribus diligamus, atque *Ioan.14* sermonem tuum seruemus: Manda- *Ioan.13* tum videlicet, illud nouum, quod peculiariter nobis commendasti, dicens: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. *Ioan. 17* Tu quoque instante tua lucta, petijsti à Patre vt simus consummati in vnum: vt dilectio, qua dilexit te Pater, in nobis sit, & tu in nobis. Exprime in nobis similitudinem charitatis tuæ, & nos in talem transforma effigiem: vt anima nostra, te illustrante, ac Spiritu sancto monente, copuletur cum æterno Patre tuo: ac in nobis luceat imago similis integritatis, qualis fulget in te: qui es splendor æterni Patris tui. Indue nos vis- *Heb. 1.* cera misericordiæ, benignitatem, *Coloß 3.* humilitatem, modestiam, patientiã: & donemus inuicem, si quam habemus aduersus alium querelam: ambulantes in dilectione, sicut & tu dilexisti nos: & tradidisti temetipsum pro nobis, oblationem & hostiam DEO, in odorem suauitatis: vt fides

noſtra ſit vera & efficax per charitatem: nec à te vnquam ſeparemur. Tu enim es Charitas: & qui manet in charitate, in te manet, & tu in eo. Da igitur, vt ſimus ita in charitate, hoc eſt, in te, radicati & fundati: vt nulla nos creatura poſſit abs te ſeparare. Qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Pro Fide, Spe, & Charitate, Oratio Eccleſiæ.

OMnipotẽs ſempiterne Deus, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmẽtum: & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro Feruore Spiritus: Oratio Eccleſiæ.

DEVS innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda fideliũ: vt Spiritus tui feruore cõcepto, & in fide inueniamur ſtabiles, & in opere efficaces.

Per

Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro Bonis cogitationibus: Oratio Eccleſiæ.

DEVS, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriuſq́; cuſtodi: vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente, Per Chriſtum Dominum N. Amen.

ALIA: ECCLESIAE.

DEus, à quo bona cuncta procedunt: largire ſupplicibus tuis, vt cogitemus, te inſpirante, quæ recta ſunt: &, te gubernante, eadem faciamus. Per, &c.

Pro cuſtodia Pudicitiæ, Precatio.

DIuine Spiritus, qui abhorres ab omni ſpurcitia: quique gaudes & pro delitijs habes, in caſtis puriſque mentibus verſari: te ſupplex deprecor, vt hunc inſignem theſaurum, quem porto in fictili vaſculo, ſic, vt tuæ debeo benignitati, ita tuo

beneficio,

tuo beneficio seruem incolumem: vtque indies magis puro corde puroq; corpore tibi placens, perueniam ad illam vitam, quæ nullam nouit corruptionem: in qua viuis cum Patre, & Filio, in sæcula sęculorum. Amen.

ORATIO ECCLESIAE.

EXaudi nos omnipotens & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum. Qui tecum, &c.

PRO PATIENTIA,
Precatio.

SVpplices tibi accedimus ad pedes, & thronum gratiæ tuæ, Domine Deus: precãtes, vti nos impertias gratia tua, & corrobores internum nostrum hominem spiritu tuo: Vt per patientiam possideamus animas nostras, in omnibus afflictionibus nostris; & non pudefaciat nos spes nostra, quam in te habemus Domine: cui est imperium, & regnũ, & potẽtia, in sæcula sæculorũ. Amẽ.

Luc. 21

ORATIO ECCLESIAE.

OMnipotens sempiterne Deus: qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem nostrum carnem assumere, & crucem subire fecisti: concede propitius: vt & patientiæ ipsius habere documenta, & Resurrectionis consortia mereamur. Per eundem, D. N. Amen.

Pro humilitate virtutum omnium Matre, D. Augustini Precatio.

Soliloq. c.15

FOrtissime Deus spirituũ vniuersæ carnis: cuius oculi sunt super omnes vias filiorum Adam, à die natiuitatis eorum, vsq; in diem exitus eorum, vt reddas vnicuique secundum opera eorum: ostende te mihi, vt confitear tibi paupertatem meã. Tentatio est planè vita hominis super terram: vt gloriari non valeat ante te omnis caro: nec iustificetur in conspectu tuo omnis viuens: quoniam si quid boni est, vel parui vel magni, donum tuum est: & nostrum

1. Cor. 5.

Psal. 142.

non

non nisi malum. Tibi sit gloria, cuius est omne bonum: nobis autem confusio faciei, quorum est omne malum: nisi tu volueris misereri. Misereris quippe Domine, misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: & das nobis de bonis tuis: ditas nos Domine Deus inopes optimis donis tuis: quoniã diligis pauperes, & diuites eos facis diuitijs tuis. Ecce nunc Domine pauperes nos filij tui sumus, & pusillus grex tuus: aperi nobis ianuas tuas, & edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt te, qui requirunt te: viuentem & regnantẽ in sæcula sæculorum. Amen.

Dan. 9.

Sap. 11.

Psal. 21.

Alia, pro Humilitate: Christo.

DOmine IESV Christe, Deus altissime, Rex cœli & terræ: qui nobis commendasti veræ humilitatis virtutẽ, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: Instilla animo meo mãsuetudinis & humilitatis affectum: vt tua vestigia imitã-

Matth. 11

do humilem meipſum ex corde, abſque vlla ſimulatione. Guberna voluntatis omnium noſtrûm, vt ſubiecti inuicem, non ſolùm alius alium honore proſequamur, ſed etiam pręueniamus: & humilibus conſentiẽtes, quæramus tuam ſolius gloriam, & proximi noſtri ſalutem. Prohibe, ne ſuperbia dominetur vnquam in noſtro ſenſu: ſed per humilitatem animi inuicem ſeruientes, alios pręſtantiores nobis exiſtimemus. Et omnino is affectus ſit in nobis, qui fuit in te: qui temetipſum humiliaſti, factus obediens Patri vſque ad mortem: vt tecum etiam, qui es nunc exaltatus in gloria Patris, ſubleuemur atque honorificemur. Quo cum viuis & regnas, in vnitate Spiritus ſancti Deus in ſęcula ſæculorum, Amen.

Eccl. 9. Eph. 5. Rom. 12 Tob. 4 Phil. 2. Ioan. 12

ORATIO ECCLESIAE.

DEus, qui ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam; auge in nobis veræ humilitatis virtutem: cuius formam in ſe credentibus vnigenitus filius tuus exhibuit

vt nunquam indignationem tuam prouocemus elati, sed potius pietatis tua dona capiamus subiecti. Per Christum Dominum N. Amen.

Pro Misericordiæ operibus, & studio pietatis, D. Augustin. precatio.

DEus meus, misericordia mea: oro te per dilectum filium tuum: da mihi Misericordiæ opera, Pietatis studia: compati afflictis, cõsulere erroneis, succurrere miseris, subuenire egenis, releuare oppressos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus: odientes me diligere, pro malis bona reddere: neminem despicere, sed omnes honorare: bonos imitari, malos cauere: virtutes amplecti, vitia reijcere: in aduersis patientiam, in prosperis continentiam & modestiam: custodiam oris, & ostium circunstantiæ labijs meis: terrena calcare, cœlestia sitire. Per dilectum filium tuum D.N. IESVM Christum. Amen.

Meditat. c. 1

Psal. 140.

Ad Quacunque Opera bona: Oratio Ecclesiæ.

TVa nos Domine gratia semper præueniat, & sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. Per Christum Domin. nostrum, Amen.

ALIA.

DEus, à te quo bona cuncta procedunt: largire supplicibus tuis, vt cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt: & te gubernante, eadem faciamus. Per.

ALIA.

DEus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ: vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus. Per D. Nostrum IESVM CHRISTVM filium tuum, Qui tecum viuit, &c. Amen.

Pro Rerum Temporalium recto & moderato vsu. Precatio.

OBsecro te Domine Deus meus, præserua me à curis huius vitæ: ne nimis implicer, à multis necessitatibus corporis. Verte mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem ab amore æternorum me abstrahentem. Non me vincat, Deus meus, nō me vincat caro & sanguis: non me decipiat mundus, & breuis gloria eius. Non me supplantet diabolus, & astutia eius. Da mihi fortitudinem resistendi, patientiam tolerandi, constantiam perseuerandi. Tribue rerum mundanarum fomētis temperatè vti: non desiderio nimio implicari. Abijcere omnia non licet, quia natura sustentanda est: requirere autem superflua, lex tua prohibet. Inter hæc quæso, manus tua me regat, & doceat, ne quid nimium fiat. Amen.

Thom. Kemp.

ORATIO ECCLESIAE.

PRotector in te sperãtium Deus: sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam: vt te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per Christum D.N. Amen.

ALIA.

DEus, qui fidelium mẽtes vnius efficis voluntatis: da populis tuis: id amare quod præcipis, id desiderare, quod promittis: vt inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Per Christum, &c.

ALIA: CHRISTO.

O AEterna Dei Sapientia, fragilitatem nostram propitius respice: & saporem nobis æternæ vitæ benignus infunde: vt huius dulcedine mellisflua prægustata, terrena omnia despicere valeamus: & tibi summo Bono, per ardẽs desiderium, & viuidam fidem, semper adhære-

re. Qui cum Patre, & sancto Spiritu viuis & regnas, Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

EIACVLATIO.

MEndicitatem & diuitias ne dederis mihi Domine: tribue tantum victui meo necessaria. *Ex Prou. ca. 30.*

Pro pace: & tranquillo Reipubl. Statu.

DA pacem Domine, in diebus nostris: quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. *Ex precibus Eccl.*

FIat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis. *Ex Psal. 121*

ORATIO ECCLESIAE.

DEus à quo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, da seruis tuis illam, quam mũdus dare non potest, pacẽ: vt & corda nostra mandatis tuis dedita: & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum, &c.

ALIA.

OMnipotēs sempiterne Deus: qui cælestia simul & terrena moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi: & pacem tuam nostris concede temporibus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

EIACVLATIO.

Ex Esa. C. 26.

DOmine dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es in nobis.

ALIA.

Ex 4. Reg. 20.

DOMINE DEVS: sit Pax & Veritas in diebus nostris.

Pro aeris serenitate, Oratio Ecclesiæ.

AD te Domine clamantes dignanter exaudi: & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus: vt qui pro peccatis nostris iustè affligimur, misericordia tua præueniente, clemētiam tuam sentiamus. Per Christum, &c.

ALIA.

ABſolue quæſumus Domine, vincula peccatorum noſtrorum: & quidquid pro eis meremur, propitiatus auerte Per.

Pro pluuia tempeſtiua. Orat. Eccleſiæ.

DEus, in quo viuimus, mouemur & ſumus: Pluuiam nobis tribue congruentem: vt præſentibus ſubſidijs conuenienter adiuti, ſempiterna fideliùs appetamus. Per.

EIACVLATIO.

APeri Domine, theſaurum tuum cœlum: & tribue pluuiam terrę noſtrę, in tempore ſuo: & benedic operibus manuũ noſtrarum.

Ex Deut. cap. 28.

Pro Frugibus terræ. Precatio.

REx omnis terræ Deus, qui ex ſuperabundante Pietate tua, totum orbem terræ, omni germinum ac fructuum genere ornas ac reples:

Pſal. 46. Pſal. 35. Pſal. 146.

vnde tam homines quàm iumenta suum petunt victum : Oro te propter misericordiam tuam : vt aruo & solo nostro benedicere digneris, ad dandum prouentum & fruges suas. Concede omnibus è terra nascentibus, commodam aeris temperiem: vt fęliciter proueniant & succrescant. Custodi segetes nostras in superficie terræ: & ab omni incommoditate aeris, à fulmine & grandine: ab imbribus exitialibus, & siccitate nimia: ab omnibus insectis & bestijs perniciosis, deuastantibus germina: & ab alijs corruptionibus. Non claudas cœlum in indignatione tua, ob peccata nostra : ne illud fiat tanquam ferrum: Da pluuiam matutinam atque serotinam : vt habeamus vbertatem prouentuum, messem lætam cum vindemia copiosa. Largire etiam nobis salubritatem aeris, incolumitatem corporum, pacem atque tranquillitatem : vt sospites atque securi cum gratiarum actione, tuis donis, ad nominis tui gloriam frui valeamus. Tu es Deus qui satias animas inanes, & bonis

Leuit 26.
Deut. 28.
Psal. 106

tuis

tuis imples animas esurientes: qui producis in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Tibi peccauimus: te veniam peccatorũ oramus, diuitem in omnes qui te inuocant. Qui viuis & regnas in sæcula. Amen.

Psal. 146
Rom 10.

PSALMVS CXLVI.

Est Gratiarum actio, pro Beneficijs Dei spiritualibus & corporalibus: & laudes diuinas celebrat pro Ecclesia, & magnitudine Dei in vniuersa creatura.

LAudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.

AEdificans Hierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nominat vocat.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.

Præcinite Domino in confusione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam seruituti hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: neque in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.

PRECATIONES XI. PRO ECCLESIA S. DEI.

Vt eam Dominus noster pacificare, adunare, & custodire dignetur: detq; nobis quietam & tranquillam vitam degentibus glorificare Deum omnipotentem.

Ex Precibus Eccl.

OMnipotẽs sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus reuelasti: custodi opera misericordiæ tuæ; vt Ecclesia tua toto orbe terrarum diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseueret. Per eundem D.N. Iesum Christum Filium tuum. Amen.

S. Ioannis Apostoli pro Ecclesia Catholica, Precatio.

Abdias.

TV Domine Deus, Ecclesiã tuam, quam ędificasti tibi, misericordia tua protege. Tu Domine solus misericors & pius, solus Saluator ac iustus: qui idem es radix immortali-

tatis & fons incorruptionis: consortium communionis huius nobis sanctificata. Qui solus es Saluator: qui hanc plebem ad gloriam tuam, per filij tui passionem adquirere dignatus es, perseuerantem in præceptis tuis, atque abundantem in bonis operibus tuis semper custodire dignare. Exaudi supplicem serui tui precem, & dirige hanc plebem tibi dicatam, legibusq; tuis seruientem, quam adoptiuam tibi elegisti: insuper & filios appellare dignatus es. In præceptis tuis die noctéque eam dirige, per benedictum vnigenitum tuum: qui tecum viuit dominatur & regnat, cum Spiritu S. in sęcula sęculorum, Amen.

S. Thomæ Apostoli pro Ecclesia precatio.

Abdias.

CVstodi Domine quæso gregem tuum, quem congregare dignatus es: vt nullus retrorsum ruat, nullus ad diabolum reuertatur, sed omnes tua protecti virtute, vitam æternam mereantur, & tecum regnent in perpetuum: cui est cũ æter-

no Pa-

no Patre, & S. S. honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ecclesia, Deo Patri Opt. Maxim.

FAmiliam tuam quæsumus Domine, continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Christum D. N. Custodi quæsumus Domine Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxilijs & abstrahatur à noxijs, & ad salutaria dirigatur. Per Christum D. N. Amen.

Ecclesia Christo Seruatori suo.

GRegem tuum quæsumus Domine, Pastor bone, placatus intende: vt oues, quas pretioso sanguine tuo in cruce redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Qui viuis & regnas Deus in sęcula sæculorum. Amen.

D. AVGVST. CHRISTO.

Confeß. l. 10 cap 36.

NOs autem Domine pusillus Grex tuus ecce sumus: tu nos posside. Prætende alas tuas, & fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto.

EIACVLATIO.

Ex Psal 73.

MEmor esto congregationis tuæ Domine: quam possedisti ab initio.

PSALMVS LXXIX.

Est elegans Precatio Ecclesiæ ad Deum, tanquam Ouis ad Pastorem suum: vt Vineam suam toto orbe terrarum diffusam custodiat.

QVI regis Israel intende: qui deducis velut ouem Ioseph.

Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse.

Excirca potentiam tuam, & veni: vt saluos facias nos.

Deus conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui?

Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis in lacrymis, in menſura.

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.

Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & salui erimus.

Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu eius: & plantaſti radices eius, & impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei.

Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.

Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.

Exterminauit eam aper de ſylua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

Deus virtutum conuertere: reſpi-

ce de cælo,& vide, & visita vineam istam.

Et perfice eam, quam plantauit dextera tua: & super filium hominis quem confirmasti tibi.

Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

Et non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Domine Deus virtutum conuerté nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.

PRO PACE ET VNITATE

Ecclesiæ: Precatio, ex D. Pauli Epistolis collecta.

DOmine Deus pacis: da nobis pacem sempiternam in omni loco. Da nobis idipsum sapere in alterutrum secundum IESVM Christum: vt vnanimes vno ore honorificemus te Deum, & Patrē Domini nostri IESV Christi. Nec

2 Thes. 3
Rom. 15
1. Cor. 1.

sint

ſint in nobis ſchiſmata, ſimus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadẽ ſententia. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Sed dignè ambulemus vocatione qua vocati ſumus, cum omni humilitate & mãſuetudine: cum patientia ſupportantes inuicem in charitate: ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: in humilitate ſuperiores alij alios arbitrantes: non quæ noſtra ſinguli, ſed & ea quæ aliorum, conſiderantes. Et pax tua, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras, in Christo IESV Domino noſtro. Amen.

Gal. 5.
Eph. 4
Phil 2.
Phil 4.

PRECATIO AD D. N. IESVM *Chriſtum, pro pace & vnitate Eccleſiæ.*

DOmine IESV Chriſte, qui pro tua omnipotentia condidiſti creaturam omnem viſibilem pariter & inuiſibilem; pro tua ſapientia, ordine pulcherrimo gubernas ac dirigis vniuerſa: pro tua ineffabili bonita-

nitate, seruas, tueris ac vegetas omnia: pro tua immensa misericordia, restituis luxata, reformas collapsa, mortua reuiuificas: dignare quæsumus, ad vnicè dilectam tibi Ecclesiã flectere oculos illos tuos mites ac misericordes, quibus turbam palantem aspexisti: & misericordia commotus es, quòd ob inopiam pastoris errarent velut oues dissipatæ, disiectęque. Vides pastor bone, quàm varia luporum genera irruperint in caulas tuas: vides quibus ventis & vndis, quibus procellis iactetur TVA NAVICVLA ECCLESIA, extra quam nulli vis esse salutem: quam tempestatem accersiuerunt nobis scelera nostra. Agnoscimus tuam iustitiam, & nostram iniustitiam deploramus: sed appellamus tuam misericordiam, quæ superat omnia opera. Miserere nostri redemptor exorabilis: non quòd ipsi sumus digni: sed hanc sancto nomini tuo da gloriam. Olim cum in naui dormires, & exorta tẽpestas minaretur omnibus exitium, ad inclamationem paucorum discipulorũ ex-

Marc. 6.

Psal. 144.

Psal. 113.

Matt. 8.

perre-

perrectus es: & mox ad vocem tuam omnipotentem subsedêre fluctus, consiluere venti, tumultus subitò versus est in tranquillitatem magnam. Nunc in hac longè grauiore tempestate, qua periclitantur non paucorum corpora, sed innumerabiles animæ: ad totius Ecclesiæ tuæ periclitantis clamorem rogamus, vt expergiscare. Tot hominum millia clamant: DOMINE SERVA NOS: PERIMVS. Tempestas vicit humanam industriam: tua voce opus est DOMINE IESV. Tantùm dic verbo: & protinus illucescet optata tranquillitas. Parsurus eras tot sceleratissimorum hominum millibus, si in Sodomis reperti fuissent decem iusti. Nunc tot sunt hominum millia, qui diligũt nominis tui gloriam: qui suspirant decorem domus tuæ: an non ad horum preces iram tuam remittes, ac veterum misericordiarum tuarum recordaberis? Solet tua misericordia tum maximè adesse: cum rebus maximè deploratis, hominum nec vires, nec prudentia possunt opitulari, Tu solus res,

Gen. 18.

Psal. 88.

quamli-

quamlibet discordes redigis in concordiam, vnicus pacis & autor & tutor. Tu chaos illud vetus, in quo nullo ordine nulloq; decore confusa iacebant discordia rerum semina digessisti: & admirabili ordine, quæ natura pugnant, æterno fœdere sociasti. At quantò turpius est Chaos, vbi nulla est charitas, nulla fides, nulla fœdera, nulla legum, nulla prępositorum reuerentia, nullus dogmatum consensus: sed veluti in dissono choro suam quisque canit cantionem. Digere ergo hoc Chaos DOmine IESV: fac, vt quemadmodum cunctis in domo tua versantibus vna lex est, vnũ baptisma, vnus Deus, vna Spes, vnus Spiritus: ita & vox vna sit Catholicam veritatem profitentium. Seruator es: ne sinas eos interire, qui toti pendent ex te. Dominus es: assere possessionem tuam. Caput es: subueni membris tuis. Rex es: da legum tuarum reuerentiam. Princeps es pacis: inspira nobis charitatem mutuam. Deus es: miserere supplicum. Esto omnia in omnibus: vt vniuersus Ecclesiæ tuæ chorus,

Eph. 4.

1. Cor. 15

concor-

concordibus animis, & consonantibus vocibus, pro impetrata misericordia gratias agat Patri, & Filio, & Spiritui sancto: qui ad absolutum Concordiæ exemplum, personarum proprietate distincti estis, natura vnum: quibus laus & gloria in æternum. Amen.

ALIA: CHRISTO.

O Christe piëtissime: tibi vni eæ suppetunt vires, quibus, quodcunque tibi cordi fuerit, perficias: congrega nos dispersos, : coniunge tot opinionibus dissidentes, dissectosque. Vni, quos odia & inimicitiæ reddũt diuersissimos: fac, vt nos omnes, qui baptismate nominis tui regeniti & innouati sumus, verè in vnum corpus coeamus, dignum te tanto capite, quo vel fingi nihil potest melius aut maius: vnum sentiamus omnes, vnum sapiamus: nempe te vnum Deum omnipotentem, & nostri beneuolentissimum: hominẽ mãsuetissimum, affixum cruci propter scelera nostra: Redemptorem generis humani: Instauratorẽ mun-

Io. Lud. Vi.

di vniuersi. Seda Domine tot flu-ctus, quibus nauigium hoc tuũ tam variè impetitur & concutitur. Ex-pergiscere IESV Christe: serua nos, quia instat atque vrget naufragium atrox: nullæ opes possunt opem fer-re, nulla restat remedij spes: solus aspectus tuus propitius procellã hãc sæuissimam serenare potest & tran-quillare. Tibi honor & gloria in sę-cula sæculorum. Amen.

EIACVLATIO.

Idem.

O Gubernator nauis huius Ec-clesiæ: tam agitatæ & concus-sæ: ne nos deseras.

Alia pro vnitate & pace Ecclesiæ: Precatio.

DEus, qui diuersitatem gentium in confessionem tui nominis adunasti: da, vt renatis fonte baptis-matis, vna sit fides mentium, & pie-tas actionum. Per Christum. D.N. Amen.

Da nobis quæsumus Domine: vt & mundi cursus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua trã-

quilla deuotione lætetur. Per Christum D.N. Amen.

ALIA.

OMnipotẽs & misericors Deus, qui es autor puritatis & pacis: effice quæsumus, vt in Ecclesia tua, Euangelij doctrina, sicut ab initio, floreat; vt Sacramenta tua rectè ritéque tractentur: vt denique conuersatio nostra in omni pietate & honestate te digna semper sit: ad gloriam nominis tui, & ad honorem religionis nostræ. Amen.

Tempore seditionis, & tumultus bellici, Precatio.

OMnipotens æterne, ac misericors Deus: etsi per iniquitates nostras multiplices, vitam impurã, & grauia delicta: non tantùm seditiones & tumultus, atque externa ista bella, sed etiam mortem æternam, & damnationem sumus promeriti: attamen, ô DEVS, peccata nostra coram diuina tua maiestate confitemur: reos sistimus: & nos quidem his ærumnis, atque etiam grauioribus dignos esse

Io. Faber.

agnoſcimus. Itaque tuam Domine gratiam & miſericordiam imploramus, & ſupplices petimus: vt his temporibus turbulentiſſimis, talia media immittas, quibus exitioſa illa diſcordia, vnde teterrima bella, & omnis calamitas, cùm animæ, tum corporis, per inimici nostri diaboli machinationes prouenit, fœliciter componatur & tollatur: atque concordia publica Pax & Tranquillitas conſtituantur: vt in ſecuritate animorum & temporum, nomen tuum, quiſque in ſua vocatione, concelebremus: & ſecundum tuam voluntatem ambulantes, æternam fœlicitatem, per D. N. IESVM Chriſtum aſſequamur. Amen.

Tempore comitiorum aut Synodi, Precatio Eccleſiæ.

INfunde quæſumus Domine, famulis tuis, Spiritũ veritatis & pacis: vt quę tibi placita ſunt, toto corde cognoſcant: & agnita tota virtute ſectentur. Per Chriſtum D. N. Amen.

PRECATIO VTILIS.

Vt Deus Ecclesiam suam ab hæretica prauitate, & hypocrita superstitione seruet: ad historiam Leuitici cap. 10. vbi arreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis imposuerunt ignem & incẽsum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, &c.

CLementissime Domine, vtinã discinderes cœlos & descenderes, Nomen tuum tuis hostibus notum facturus. Vides quantum vbique prophani ignis offeratur. En quàm non parum zizaniorũ seratur: impiorum scilicet dogmatum, quæ nunquam mandasti. Vbi enim prouidisset inimicus Satan, se neque persecutionibus, neque superuacaneis curis diuitiarum aut honorum, cæterisque id genus rebus, quibus illicitur animus humanus, potuisse in totum semen verbi perdere: Pseudoapostolos immisit nobis, qui S. Scripturas peruertant, & ad suos priuatos affectus detorqueant. Exeduntur, imò & deglutiũ

Guil Alostaus Carthus.

Esa. 64.

Matth. 13

2. Pet 3.

Ioan. 10 *Psal.* 77. *Hiere.* 23. *Rom.* 5. *Deut.* 6 *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 10. *Leuit.* 10.

tur Ouiculæ tuæ à lupis rapacibus. Et tu insuper Domine, perinde atq; dormiens dissimulas. Obsecramus, vti euigiles, & intuearis calamitates filiorum tuorum. Redde nobis verbum tuum, quod ignis instar vniuersos perimat errores: & vt malleus cóterat petras. Exure Deus, quicquid est impiarum traditionum: perde errores: vt tua tibi Ecclesia secura seruiat libertate. Immitte cœlitus cordibus tuorum ignem amoris tui: qui per Spiritum sanctum tuum, diffunditur in animos nostros: vt te Dominum Deum nostrum, ex toto corde nostro, & in tota anima, & in tota mente nostra, diligamus: & proximum nostrum, sicut nosmetipsos. Hic est enim ignis ille sanctus, quò tibi sacrificandum est: & quo incensum ardeat, oportet, quicquid tibi in ara fidei offertur. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(*.*)

PRECATIONES ALIQVOT Patrum veteris testamenti: quibus etiam nos in magnis periculis, à Turcis, & alijs infidelibus Hæreticis atque Tyrannis, pro liberatione populi Dei, vti poßumus.

ORATIO REGIS ASA.

DOmine, non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hãc multitudinem. Domine Deus noster tu es: non prę-ualeat contra te homo.

2. Parad. 14.

ORATIO REGIS Iosaphat.

DOmine Deus Patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium. In manu tua est fortitudo & potentia: nec quisquam potest tibi resistere. Ecce insultãt aduersum nos aduersarij nostri. Ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed

2. Paral. 20

cùm ignoremus, quid agere debeamus: hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.

ORATIO ESAIAE PROPH.

Cap. 63. & 64.

DOmine, pater noſter, redemptor noſter: à ſæculo nomen tuum. Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis: induraſti cor noſtrum, ne timeremus te? Conuertere propter ſeruos tuos: tribus hæreditatis tuæ. Quaſi nihilum poſſederũt populum ſanctum tuum hoſtes noſtri: conculcauerunt ſanctificationem tuam. Facti ſumus quaſi in principio cùm non dominareris noſtri, neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos. Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ, quaſi ventus abſtulerunt nos. Non eſt qui inuocet nomen tuum: qui conſurgat & teneat te. Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. Et nunc Domine, pater noſter es tu: & opera manuum tuarum omnes nos. Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion

deſer-

deserta facta est, Hierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis: & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his continebis te Domine: tacebis, & affliges nos vehementer?

ORATIO AZARIAE.

Dan. 3.

BEnedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula: quia iustus es in omnibus quę fecisti nobis: & vniuersa opera tua vera, & vię tuæ rectæ: & omnia iudicia tua vera. Iudicia enim vera fecisti iuxta omnia, quæ induxisti super nos: quia in veritate & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim & iniquè egimus, recedentes à te: & deliquimus in omnibus, & præcepta tua nō audiuimus: nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ

fecisti nobis, vero iudicio fecisti: & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorum. Ne quæsumus, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum: & ne disupes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te: & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuę. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine: & confundantur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala: confundantur in omni potentia sua, & robur eorum cōteratur, & sciant quia tu es Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum. Amen.

ORATIO HIEREMIAE PROPH.

Ex cap. 10.

COgnouimus Domine impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum: quia peccauimus tibi: Ne des nos in opprobrium, propter nomen tuum: neque facias nobis cō-

tumeliam: solij gloriæ tuæ recordare: ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.

ORATIO BARVCH PROPH.

Cap. 3.

ET nunc Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te. Audi Domine, & miserere: quia Deus es misericors, & misereris nostri, quia peccauimus ante te. Quia tu sedes in sempiternum, & nos peribimus in æuum: Domine omnipotés, Deus Israel: audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te: & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt eis mala. Noli meminisse iniquitatum patrum nostrorũ: sed memento manus tuę, & nominis tui in tempore isto: quia tu es Dominus Deus noster, & laudabimus te Domine: quia propter hoc dedisti timorem tuum in cordibus nostris, vt inuocemus & laudemus te.

(****)

ORATIO POPVLI ISRAEL.

Iudith. 7.

PEccauimus cũ Patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras: & noli tradere cõfitentes te, populo qui ignorat te: vt non dicant inter gentes, vbi est Deus eorum?

ORATIO MARDOCHAEI.

Hester 13.

DOmine Rex omnipotens: in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere volũtati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cęlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es: nec est qui resistat Maiestati tuæ. Et nunc Domine Deus Abraham, miserere populi tui: quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti de Aegypto. Exaudi deprecationem meã, & propitius esto sorti & funiculo tuo: & conuerte

luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine: & ne claudas ora te canantiũ. Amen.

ORATIO NEHEMIAE.

DOmine Deus omnium creator terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus: qui liberas Israel de omni malo: qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificium pro vniuerso populo Israel, & custodi partem tuam & sanctifica. Congrega dispersionem nostram: libera eos qui seruiunt gẽtibus: & contemptos & abominatos respice: vt sciant gentes, quia tu es Deus noster. Afflige opprimentes nos, & cõtumeliam facientes in superbia. Constitue populum tuum in loco sancto tuo. Amen.

2 Mach. 1.

(.:.)

ORATIO IVDAE MACHABÆI contra Nicanorem hostem populi Dei.

2. Mach. 15.

Extendens Machabæus manus in cœlum, prodigia facientem Dominum inuocauit: qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem inuocans hoc modo.

4. Reg. 19. Eccl. 48.

TV Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda: & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: & nunc dominator cęlorum, mitte angelum tuum bonum ante eos in timore & tremore magnitudinis brachij tui: vt metuant qui cũ blasphemia veniunt aduersus sanctum populum tuum.

Et hic quidem ita perorauit. Nicanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas verò, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationem congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus XXXV. M.

EX ECCLESIAST. PRE- *catio pro Ecclesia S. Dei.*

Cap. 36.

Miserere nostri Deus omniũ, & respice nos: & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te: vt cognoscant quia non est Deus nisi tu: quoniam nõ est Deus præter te Domine. Contere caput principum inimicorum dicentium: Non est alius præter nos. Congrega omnes tribus Iacob: & cognoscant, quia non est Deus, nisi tu: vt enarrent magnalia tua, & hæreditabis eos sicut ab initio. Miserere plebi tuæ: super quam inuocatum est nomen tuum. Da testimonium, quia ab initio creaturæ tuæ sunt: & suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetę priores. Da mercedem sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur: & exaudi orationes seruorum tuorum. Secundum benedictionem Aaron da papulo tuo: & dirige nos in viam iustitię: & sciant omnes, qui habitant terram, quia tu es Deus cõspector sæculorũ. Amen.

PSALMVS LXXVIII.

Est oratio conueniens Ecclesiæ: qua petitur, vt diuina vltio, à populo Dei auersa, in impias gentes effundatur: Deiq; populus ab impiorum violentia liberetur.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ:

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hierusalē: & non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ

nomen

nomen tuum non inuocauerunt.

Quin comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipet nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus, vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorũ, qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorũ, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.

In generatione & generationem: annunciabimus laudem tuam.

ECCLESIA DEO PROtectori suo.

SAlus nostra in manu tua est Domine: respiciat super nos misericordia tua: vt securi seruiamus tibi. Viuat Domine anima nostra, vt non videamus mortem, neque paruulos nostros deficientes.

Memor esto, quæsumus Domine, fragilitatis humanæ: & qui iustè verberas peccatores, parcè propitius afflictis. Per Christum.

Omnipotens sempiterne Deus: Christiani nominis inimicos, virtute comprime tuæ Maiestatis: vt populus tuus fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate semper exultet. Per Christum Dominũ Nostrum.

Quæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice: atq; ad defensionem nostram dexteram tuæ Maiestatis extende. Per Christũ Dominum nostrum, Amen.

EIACVLATIO.

PArce Domine, parce populo tuo: & ne dés hęreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. — *Ex Ioe c. 2.*

ALIA.

TV in nobis es Domine: & nomen tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos. — *Ex Hier. cap. 14.*

EIACVLATIO IOAN. CAPISTRANI.

Pro liberatione populi Christiani: cũ Turcæ Bellogradum obsiderent & oppugnarent. — *Anno 1456.*

O IESV respice: ades populo tuo pro te laborãti. Vbi sunt misericordiæ antiquæ tuæ? Veni, protege populum tuum: ne quando dicant gentes, vbi es Deus eorum?

Dedit protinus Victoriam populo suo Deus: Cæsa sunt hostium multa milia: intercepta machina Bombarda, & omnis generis bellicus apparatus. Alb. Crant. in Saxon. li. 11. cap. 35.

PSAL-

PSALMVS CXXIII.

Est Exhortatio ad laudem Dei: & Gratiarum actio pro Dei patrocinio, quòd Ecclesiam seruat: æternumq; seruabit.

NISI quia Deus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.

Cùm exurgerent homines in nos: fortè viuos deglutissent nos.

Cùm irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Laqueus contritus est: & nos liberati sumus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cœlum & terram.

PRECATIONES XII. PRO VNIVERSO REIPVBL. STATV.

PRO IMPERIO CHRIstiano.

OMnipotẽs ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnia iura Regnorum: reſpice ad Chriſtianum benignus Imperium: vt gentes quæ in ſua feritate confidunt, Potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per D. N. Ieſum Chriſtum Filium tuum. Amen.

Ex Precibus Eccl.

Pro ſummo Pontifice.

DEus, qui es fidelium Paſtor & Rector: famulum tuum, quem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, propitius reſpice: & da ei Verbo & Exemplo, quibus præeſt, proficere: vt ad vitam vnà cum grege ſibi commiſſo

perueniat ſempiternam. Qui cum Patre, & S. S, viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum ſæculorum. Amen.

PRO EPISCOPO.

OMnipotẽs ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus: prætende ſuper famulũ tuum Antiſtitem noſtrum, & ſuper cũctos illi commiſſos, ſpiritum gratiæ ſalutaris: & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde Per D. N. Ieſum Chriſtum Filium tuum Amen.

PRO OMNI GRADV *Eccleſiæ*,

OMnipotens ſempiterne Deus, cuius Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes: vt gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur. Per Chriſtum Dominum N. Amen.

PRO PASTORIBVS ET ECclesiæ ministris: ex D. Pauli Epistolis, precatio.

ORamus te Pater omnipotēs, sēpiterne Deus: pro ministris tuis & dispensatoribus mysteriorū Christi filij tui: vt sermo tuus currat, & clarificetur: & liberentur ab importunis, & malis hominibus; & impleant verbum tuū, mysterium quod absconditū fuit à sæculis, & generationibus: nūc autem manifestatū est Sāctis tuis, quibus voluisti notas facere diuitias gloriæ tuæ: corripientes omnem hominem, in omni sapientia: vt exhibeant omnem hominem perfectum in Christo IESV. Nec sint in sermone adulationis: neque in occasione auaritiæ: neq; quærētes ab hominibus gloriā: non adulterantes Verbum tuum: sed ex synceritate, sicut ex te coram te, in Christo loquantur. Nobis autem gratiam tuam impartire: vt quæcunque præcipiunt, faciamus. Domine, dirige corda nostra in charitate tua: & patientia Christi, Tibi gloria in Eccle-

1. Cor. 4

2 Thes. 3

Colos. 3.

1. Thes 2.

2. Thes. 3.

Eph. 3.

ſia, & in Chriſto IESV: in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.

ALIA.

Guilhel. Aloſtaeus.

PRæfice Domine populo tuo Rectores, qui te quærant: quorum exemplis ſuapte ſponte ducantur oues, ad implendam ſanctam voluntatem tuam: vt vnanimes, vnoque ore, cuncti te laudemus & magnificemus: & tandem illuc, quò nos ab æterno deſtinaſti, duce te perueniamus. Per Chriſtũ Dominum noſtrum, Amen.

Rom. 15

Pro regibus & ducibus, & his qui in ſublimitate conſtituti ſunt Precatio.

Io. Lud. Vi.

DOmine IESV Chriſte, quos tuo loco regendis tuis populis, tanquam ouium paſtores dediſti, lumine tuæ claritatis illuſtra, & igne tui amoris accende: vt luce præeunte, quæ ſunt optima videant: & amore ſancto incenſi, eadem concupiſcant: in teque vnum intenti, non quod ipſis collibitum eſt, ſequãtur

tur, ſed quod tu præcepiſti: omniaque ſua ad te propoſitū exemplum dirigant: vt & ipſi probè fungantur munere abs te mandato: & nos ſub illis quietam piamque vitam tranſigamus, Amen. 1. Tim. 2.

PSALMVS XIX.

Eſt precatio populi, qua pij & religioſi Principis ſalutem, & per eum, ſuam Deo commendat: nempe, vt eum gubernare, & contra omnia pericula defendere dignetur.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui, quoniam

ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiat illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Ipſi obligati ſunt & ceciderũt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

Domine ſaluum fac Regem: & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Pro Ciuitate quam quiſq; inhabitat: ſeu, patria.

Ex Precibus Eccl.

CIuitatem iſtam circũda Domine: & Angeli tui ſancti cuſtodiant muros eius. Exaudi Domine populum tuum cum miſericordia.

Benedic Domine ciuitatem iſtam, & omnes habitantes in illa: ſitq; in ea Sanitas, Humilitas, Sanctitas, Caſtitas, Virtus, Victoria, Fides, Spes, & Charitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Spiritualis diſciplina, & Obedientia: per infinita ſæcula.

Con-

Conſerua Domine, in ea timentes te: puſillos cum maioribus.

PRO PARENTIBVS.

DOmine Deus, qui nos ſecundũ te, plurimũ honoris Parentibus habere voluiſti: nec inter officia pietatis minimum eſt, pro Parẽtum incolumitate tuam bonitatem interpellare: ſerua quæſo, Parentes meos, cum omni familia: primum in tuæ Religionis amore, deinde tutos à corporis & animi perturbationibus: mihi verò præſta, ne quid illis ex me moleſtiarum accedat. Denique, vt ego illos, illi te propitium habeant: qui ſupremus es omnium Pater. Amen.

D. Ambroſij Epiſc. pro ſummo ac infimo Eccleſiæ ſtatu ſeu omnibus Eccleſiæ membris Precatio.

TE amatorem Eccleſiæ tuæ deprecor Deus, pro Sacerdotibus eius, vt verbis & meritis vitæ, populum ſibi creditum ad cœleſtem patriã inuitẽt. Pro Regibus, Ducibus, & ijs qui in ſublimitate poſiti ſũt: vt

Precat. 2. Præpar. ad Miſſam.

Tim. 2.

patres orphanorum, & iudices viduarum ſemetipſos exhibeant: miſerijs inopum & gemitibus pauperum doleant: nil niſi quod iuſtum eſt in iudicio quærant: ſicque adminiſtrẽt præſentia, ne amittant bona futura. Pro Virginibus, continentibus, ac mundo renunciantibus: vt præſentia deſpiciant, futura requirant: ne ſe negotijs ſæcularibus implicent, vt tibi militantes placeant, cui ſe probauerunt. Pro Coniugatis: vt ſic ſibi inuicem carnis debitum ſoluant, ne à deſiderio patriæ cœleſtis exorbitent. Profero etiam Domine (ſi dignaris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitum, miſeriam orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languẽtium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum. Tu enim mifereris omnium Domine: & nihil odiſti omnium quæ feciſti. Memorare quæ ſit noſtra ſubſtantia: quia tu Pater noſter es: ne iraſcaris ſatis: neque multitudinem viſcerum tuorum

2. Tim. 2.

1. Cor. 7. Precat. 1 ad Miſſam.

Sap 11. Pſal. 88. Eſa. 63 Dan. 9.

rum ſuper nos contineas. Non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuã:ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates noſtras : & ignem S.Spiritus in nobis clementer accende: Auſer cor lapideum de carne noſtra : & da nobis cor carneum,quod te timeat, diligat, & honorificet: te delectetur, te ſequatur, & te perfruatur. Qui ęternitate perenni viuis & regnas Deus percuncta ſæcula. Amen.

Ezec. 11. & 36.

ALIA: PRO OMNI *Eccleſiæ Statu.*

MEmentoDomine,omnis Principatus & Poteſtatis : Regũ, Ducum,Comitum,& omnium ſublimium terræ: quorum corda in manu tua ſunt. Erudi iudicãtes terram: vt diuinæ tuæ Maieſtati ſoli ſeruiat quæcunque humana poteſtas in timore & tremore : Sicque Rempub. adminiſtret, tanquam tibi regum Regi,& dominantium Domino, rationem redditura. Da Epiſcopis, & ouium tuarum Paſtoribus: vt Eccle-

Act.20.

siam tuam fideliter regant, quam acquisisti tibi sanguine filij vnigeniti tui: Sint fideles operarij in Vinea tua. Conuertere ô Domine Deus exercituum: respice de cœlo, vide & visita vineam tuam, quam plantauit dextera tua. Aufer illinc hęreses & schismata, errores & offendicula: concede, vt dissidio, intestinoque bello sublato, in salutiferam concordiam redeamus, perfecti in eodem sensu, & in eadem sentētia. Da nobis Deus patientiæ & solatij, idipsum sapere in alterutrum: secundum IESVM Christum: vt vnanimes, vno ore honorificemus te Deum & Patrem D. N. IESV Christi. Miserere nostri, secundum multitudinem miserationum tuarum. Viduis patrocinare, Orphanos protege: Pater orphanorum & Iudex viduarū. Sed & patiētia pauperum & infirmorum ne pereat in finem, libera eos Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis. Nauigantibus connauiga: inter agentibus cointra, prosperum fac iter illis Deus salutariū nostrorum, spes omnium finium terræ: & in mari longè. In-

Psal 79.
Rom. 15.
Psal. 50.
Psal 67.
Psalm 9.
Psal. 24.
Psal. 67.
Psal 64.
Psal 78.

gè. Introeat etiam in conſpectu tuo gemitus compeditorum: & qui in ergaſtulis atque exilijs, ſeu amara ſeruitute, vel quacunque anguſtia ſunt, releua: Paruulos innutri: Iuuẽtutem baiula: Senectutem contine: Diſperſos congrega: Errantes reuoca: Bonos, in bonitate conſerua: Malos, bonos fac in benignate tua: benedic puſillis cum magnis. Imple nos timore nominis tui: & quos ad gloriam eiuſdem nominis tui creaſti, à peccatis liberos, & in bonis operibus tuis abundantes ſemper cuſtodire dignare. Per benedictum filium tuum Dominum noſtrum IESVM Chriſtum: cum quo tibi, & Spiritui ſancto tuo, Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti, honor & gloria, in ſæcula ſæculorũ. Amen.

Ex Liturgi. Baſil. Magn.

Eſa 43.

PRECES ECCLESIAE *pro infirmis.*

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

Psal. 85. Saluum fac seruum tuum: Deus meus, sperantem in te.

Psal. 19. Mitte ei auxilium de sancto: & de Sion tuere eum.

Psal. 88. Nihil proficiat inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Psal. 60. Esto ei Domine turris fortitudinis: à facie inimici.

Psal. 101. Domine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te veniat.

Exaudi Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt famulum tuum, quem conscientiæ reatus accusat, celeris indulgẽtia tuæ miserationis absoluat.

Sana Domine infirmum famulum tuum: cuius ossa conturbata sunt, & anima, valde: tu Domine succurre ei: sana eum, & eripe animam eius.

Deus sub cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt: suscipe propitius preces nostras, pro famulo tuo: pro quo ægrotante, misericordiæ tuæ auxilium imploramus: vt de cuius periculo metuimus, de eiusdem salute gaudeamus.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium: auxilij tui ſuper infirmum famulum tuum oſtẽde virtutem: vt ope miſericordiæ tuæ adiutus, eccleſiæ tuæ ſanctæ ſanus & incolumis repræſentari mereatur.

Deus, qui humano generi ſalutis remedia contuliſti: conſerua famulo tuo tuarum dona virtutum: & cõcede, vt medelam tuam, non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per D. N. Ieſum Chriſtum filiũ. Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Chriſto Redemptori D. N.

PArce Domine, parce famulo tuo, quẽ redemiſti ſanguine tuo: ne in æternum iraſcaris ei. Qui cum Patre & Spiritu ſancto, viuis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Generalis Precatio pro ægrotis omnibus: CHRISTO.

DOmine IESV Chriſte, fortitudo fragilium, ſalus omnium in te ſperantium. Te rogo, per om-

nes cruciatus tuos, quos pro nobis sustinuisti: vt condolens morbis & ærumnis nostris, succurras omnibus ægrotis: & præsertim ijs, qui in agone mortis suæ, cum multis & varijs luctantur tentationibus. Da illis gratiam, vt cognoscant, ægritudines & corporis calamitates nō esse fortuitas: sed a te Deo nostro paternè se castigari arbitrantur: sine cuius nutu & permissione, nihil potest nobis aduersi accidere: quoniam quidem omnes capilli capitis nostri numerati sunt. Castigas autem, non vt perdas: sed vt castigatos reducas in viam, & reuoces ad pœnitentiam, & in officio contineas. Nam cùm iudicamur à te Domine, corripimur: ne cum hoc mundo damnemur. Tu optime animarum & corporum lãguētium Medice, parce populo tuo: & remitte nobis peccata nostra, quibus causam præbuimus multis morbis & calamitatibus. Respice de cęlo, & de habitaculo tuo sancto: & vide humilitatem & afflictionem omnium infirmorum: tolle ab eis languores: aut saltem mitiga dolo-

Prou. 3. Hebr. 12. Apoc. 3.

Matth. 10.

res eorum, ad salutem ipsorum. Et quos curaueris: effice, vt receptam sanitatem bene collocent: ne quod per gratiam acceperunt, peccando amittant: sed tibi gratias agētes, amplius non peccent, ne quid deterius illis contingat. Quibus autem expedit, iam vt commutent terrestrem hanc vitam, cum futura: hos Spiritu sancto confirma, vt in hora expirationis suæ, placidè obdormiscant in te Domine. O Christe, qui deuicto mortis aculeo, aperuisti credētibus Regna cœlorum, tuis famulis subueni: quos pretioso sanguine redemisti. Aeterna fac cum sanctis tuis Gloria munerari: ad laudem Nominis tui, quod est benedictum in sæcula. Amen

Ioan. 5.

PRE-

PRECES ECCLESIAE, PRO PARTVRIENTIBVS.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

Saluam fac ancillam tuam DEVS meus ſperantem in te.

Mitte ei auxilium de ſancto: & de Sion tuere eam.

Eſto ei Domine turris fortitudinis: à facie inimici.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubuenis in periculis & neceſſitatibus laborantibus: Maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt mittere digneris ſanctum Angelum tuũ: qui famulam tuam in anguſtijs & neceſſitatibus ſuis laborantem, conſolationibus ſuis attollat: quibus & de pręſenti triſtitia conſequatur au-

xilium, & æterna remedia compre-hendat. Per Christum D. N. Amen.

Pro Parturientibus Precatio: Qua S. Leonardus vsus dicitur.

DEVS omnipotens, solus sine initio & fine: qui Adam de limo terræ formasti: deq; latere eius mulierem formans, pro adiutorio ei in coniugium sociasti. Quibus ad propagãdam posterorum sobolem, per legitimi Coniugij copulationẽ, perpetuam dedisti Benedictionem, dicens: Crescite & multiplicamini: & replete terram. Qui Abraham Patriarcham, coniugemque eius Saram, licet prouectos maturiori ætate, fœcundasti, insperatæ prolis nouitate. Qui etiam, cooperante Spiritu sancto, de sinu tuo misisti Filium tuum ad intemeratæ virginis vterũ, vt in ea Deus fieret homo: atque etiã post nouem mensium legitimum tẽpus, matre virgine pariente, velut Sponsus de thalamo procedens, nascendo virginis reliqueret vterum: in cuius nomine te Deum Patrem, cum S. Sancto, inuoco: vt famulæ tuę

Gen 1. *Gen. 18. & 21.* *Psal. 18.* *Luc. 2.*

N. præ anguſtia pariendi ingemiſcenti ſubueniat tuæ pietatis auxiliũ: vt ab inſtante periculo liberata, poſſit glorificare. Nomen ſanctum tuũ: quod eſt benedictum in ſæcula. Amen.

Precatio pro Benefactoribus.

MIſericors & benigne Deus, remunerator omnium bonorũ operum: Tibi gratias ago, pro omnibus Beneficijs, quibus me & totum genus humanum, ex tuo inexhauſto Beneficentiæ theſauro, afficis: quòd me ad imaginem tuam creaſti: ac perditum, damnatumq; pretioſo ſanguine filij tui redemiſti: quod animã & corpus ſanum atque incolume conſeruas: nonnunquam etiam, propter ſalutem noſtram, morbis & ærumnis affligis: omnia denique neceſſaria abundè largiris: & contra omnia pericula clementer tueris. Confitebor tibi Domine, quoniam bonus es: quoniam in ſæculum miſericordia tua. Deinde te quoq; rogo, pro Benefactoribus meis: qui me genuerunt, educauerunt, inſtitue-

Pſal. 117.

runt ac promouerunt : atque alijs omnibus:pro quibus obligatus sum orare:quorum necessitates tibi notæ sunt.Hos tibi precibus meis commendo:vt beneficia illorum compẽses præmijs,cùm temporalibus,tum spiritualibus & æternis.Retribuere dignare omnibus bene de me meritis, propter Nomen sanctum tuum Vitam æternam.Amen.

Pro ijs, Qui nobis Male volunt.

IVssisti nos pro ijs orare,IESV mitissime,qui nobis & malè cupiũt, & quatenus possunt,malè faciũt:idque tu non verbis solùm , sed factis etiam sanxisti,ad imitationem nobis propositis.Oramus te, vt spiritum nobis infundas tuæ mansuetudinis, quo inimicorum maleuolentiam & maledicentiam,atque etiam maleficia patienter toleremus:sicut & fecisse te accepimus,& quotidie facere animaduertimus:necopere reponamus iniuriam, nec verbis vltionẽ vsurpemus, nec optemus animo & cogitatione : tantumque à vindicta

Io.Lud.Vi.
Matth. 5.
Matth.11.
Luc.23.

ab-

abſimus, vt etiam commodemus illis, adiuuemuſque eos, quantum ſit virium noſtrarum: illiſq; optima cupiamus & precemur: & à te petamus, vt eis bonam mentem tribuas, quæque noſti ipſe vtilia illis fore ac ſalutaria: vt verè filij tui ſimus, qui non probis modò ac gratis, verùm etiam ingratis, & ſceleſtiſſimis beneficentiam tuam impertis: quique Patrem tuum oraſti, vt iniuſtiſſimis carnificibus tuis ignoſceret. Qui cū eodem Patre & S.S. viuis & reg. in ſæcula. Amen.

ORATIO ECCLESIAE, *pro inimicis.*

DEus Pacis & Charitatis amator & cuſtos: da omnibus inimicis noſtris pacem charitatemque veram, & cunctorum eis remiſſionem tribue peccatorum: noſque ab eorum inſidijs potenter eripe. Per Chriſtum D.N. Amen.

Pro ſalute proximi:

OMnipotens Deus, miſerere famulo tuo: & dirige eum ſecū-

dum

dum clementiam tuam, in viam salutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Christum D.N. Amen.

PRO PECCATORIBVS.

OMnipotés æterne Deus, qui genus humanum, lapsum per peccatum, non abiecisti: sed inenarrabili Bonitate tua, per vnigeniti filij mortem erexisti, ac perpetuæ mortis casibus eripuisti: qui non vis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat: Oro te pro cunctis peccatoribus: & omnibus illis, qui fascinati à diabolo tenentur captiui, ad ipsius voluntaté: quique enormibus atque nefandis turpitudinum confusionibus, varijsque peccatis, & carnis illecebris immersi sunt. Da illis gratiam tuam, vt erepti à diaboli laqueis resipiscant: & conterriti formident iram tuam, & æternas pœnas. Aufer duritiam mentis eorum: da illis cor nouum, & spiritum nouum pone in visceribus eorum. Misericors Deus, rege nos omnes Spiritu tuo: vt ingemiscentes, renouemur spiritu mentis

Ezech. 18

2. Tim. 1.

Ezech. 36.

Eph. 4

nostræ: & induamus nouum hominem, qui secundum te creatus est, in iustitia & sanctitate vera. Da nobis cor pœnitens: vt scrutemur vias nostras, & reuertamur ad te Domine: leuantes corda nostra cum manibus ad te in cœlos. Peccauimus, iniustè egimus, iniquitatem fecimus: sed tu Domine miserere nostri, secundum magnam misericordiam tuam. Qui viuis & regnas Deus in sæcula sęculorum. Amen.

Thren 3. Iudith 7. Psal. 105 Psal. 50.

Ex Precibus Ecclesiæ.

PRO HAERETICIS ET Schismaticis:

Vt Deus & Dominus noster, eruat eos ab erroribus vniuersis: & ad S. Ecclesiam Catholicam reuocare dignetur.

OMnipotēs sempiterne Deus, qui neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas: vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant: & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Christum D.N. Amen.

PRO IVDAEIS.

Vt Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum: vt ipsi agnoscant etiam D.N. Iesum Christum.

OMnipotens sempiterne Deus, qui etiam Iudaicã perfidiam à tua misericordia non repellis: exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus: vt agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, à suis tenebris eruantur. Per eundem Christum D.N. Amen.

PRO PAGANIS:

Vt Deus auferat iniquitatem à cordibus eorum: & relictis idolis suis conuertantur ad Deum viuum & verum, & vnicum Filium eius IESVM Christum.

OMnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper requiris: suscipe propitius orationem nostram, & libera nos ab idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ, ad laudẽ & gloriam Nominis tui. Per Christum D.N. Amen.

XIII.

PRECATIONES PRO FIDELIBVS DEFVNCTIS.

D. AVGVSTINVS.

De Cura pro mortuis agẽda ca.18.

Non existimemus ad mortuos, pro quib. curã gerimus, peruenire: nisi quod eis, siue Altaris, siue Orationum, siue Eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus: quamuis non, pro quibus fiunt, omnibus prosint: sed his tantùm, quibus dum viuũt comparatur vt prosint. Sed quia non discernimus, qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere: vt nullus eorum prætermittatur, ad quos Beneficia hæc poßint & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis deerunt, quibus prosunt.

ATHANASIVS.

Ad Antioch. Quæst. 34.

Sicut Vitis florescit extra in agro, & odorem eius sentit in vase vinũ reclusum, sicq; conflorescit etiã ipsum:

ita intelligimus peccatorum animas participare aliena beneficia, ab exangui Immolatione & Gratificatione pro ipsis facta: sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem gerit: Deus noster.

Pro Fideli defuncto Precatio.

AEterne Deus, qui immortalis natura es, & nullo fine terminaris: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: non mortuorum, sed viuentium Deus: quoniam omnium animæ apud te viuunt, & iustorum spiritus in manu tua sunt, quos non attinget tormentum: omnes enim sanctificati sub manu tua sunt. Ipse quoque nunc respice hunc seruum tuum, quem recepisti in alteram vitam: & cõdona ei, si quid volens vel inuitus deliquit: & Angelos placidos constitue ei, & colloca eum in sinu Patriarcharũ & Apostolorum, & omnium, qui tibi à sęculo placuerunt; vbi non est tristitia, dolor, neque horror: sed cœtus piorum & lætantium: & terra rectorum beata, videntium gloriam Christi tui: per

Ex Constitutionibus Apost. lib. 8. cap. 47.

quem

quem tibi gloria, honor, cultus, gratiarum actio, & adoratio in S.S. Amen.

ALIA:

Ex Euchologio G. Vuicel.

OMnipotēs, æterne, misericors, veraxq́ue Deus, & rerū vniuersarum Domine: oro atque obsecro te pro anima famuli tui, vt eius miserearis secundum magnam misericordiam tuam: & eam, si in pœnis huic mundo incognitis, constituta sit, ex gratia liberes: respiciasq́ue nō illius culpam, sed tuam Bonitatem: non illius peccatum, sed tuum Promissum, O Domine Deus, non intres in iudicium cum seruo tuo: sed fac, vt resurgat in resurrectionem vitæ, in nouissimo die: vt connumeretur inter oues à dexteris tui Filij vnigeniti, Ne permitte, vt sacrosancta Passio, Morsq́ue eius preciosa, in hoc homine defuncto, vel ociosa sit, vel pereat. Quinimò dona ei salutem sempiternam, quam à te sperauit: & largire ei cœlestia Gaudia, cuiusmodi futura credidit. Propiti° esto ei, vt accipiat promissam sempi

Psal. 124. Ioan. 5. Matth. 25.

1. Pet. 1.

ternam

ternam hæreditatem, in cœlis conseruatam, cũ omnibus Sanctis tuis: atque immortalitatis gloria in conspectu tuo fruatur. Per eundem D. N. Iesum Christum filium tuum, Amen.

Preces Ecclesiæ, pro defunctis: pro viro.

OMnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur: propitiare animæ famuli tui N. vt qui de hac vita in tui nominis confessione decessit, Sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. Per Christum D. N. Amen.

ALIA.

INclina Domine aurem tuam ad preces nostras: quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: vt animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione cõstituas: & Sanctorum tuorũ iubeas esse consortẽ. Per. &c.

PRO FOEMINA.

QVæsumus Domine pro tua pietate, miserere animæ famulæ

tuæ N. & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ saluationis parté restitue. Per &c.

PRO PARENTIBVS.

DEus qui nos Patrem & Matrem honorare pręcepisti: miserere clementer animabus Parentum nostrorum; eorumq́ue peccata dimitte: nosq́ue cum eis in æternæ claritatis gaudio fac viuere. Per Christum.

PRO BENEFACTORIBVS.

DEus cuius misericordiæ non est numerus: suscipe propitius preces humilitatis nostræ: & animabus famulorum famularumq; tuarum, quæ nobis in oratione cómendatæ sunt, & quarum vtimur eleemosynis: quibus tui nominis dedisti confessioné, remissionem cunctorũ tribue peccatorum. Per &c.

Pro omnibus fidel. Defunctis. Ex D. Ioan. Chrys. Liturgia.

MEmento Domine, vt bonus, seruorum tuorum: & quæcunque in vita hac deliquerunt,

runt, ignosce: nemo enim sine pecca-to, nisi tu Domine: qui potes migrã-tibus dare requiem.

Ex Euchologio G. Vuicelij.

DOmine sancte Pater, cuius mi-seratio magna: Memento om-nium Christianorum fidelium: qui relictis corporibus suis, ex hoc mun-do, in Fide, Spe, Charitateque tran-sierunt: Parentum, Fratrum, Sororũ, Cognatorum, Affinium, Sodalium, & Benefactorum nostrorum. Fac cũ illis misericordiam: de qua confisi, salutem expectauerunt per Christũ Redemptorem nostrum: & obliuis-cere omnium transgressionum eorũ. Ne iudica eos in ira tua: nec condẽ-nentur ad ignem æternum: sed assu-me eos in Requiem, Lucemq; sem-piternam: Per preciosissimam Mor-tem, & gloriosissimam Resurrectio-nem Vnigeniti filij tui D. N. IESV Christi. Amen.

ECCLESIA DEO PA-TRI PIISSIMO.

MIserator & misericors Domi-ne, Pater pijssime, Amator

hominum benigniſſime, Pietatem tuam ſupplices oramus: vt omnibus fidelibus Defunctis tribuere digneris placidas & quietas Manſiones.

Pſal 73. Ne tradas Domine beſtijs animas confitentes tibi: & animas pauperũ *Pſal. 88.* ne obliuiſcaris in finem. Memorare, quæ ſit noſtra ſubſtantia Domine: & quia non vanè conſtituiſti omnes filios hominum.

ECCLESIA CHRISTO REDEMPTORI.

Pſal. 102 ROgamus te Domine Deus noſter: vt ſuſcipias animas fidelium Defunctorum, pro quibus ſanguinem tuum fudiſti. Recordare quia puluis ſumus, & homo ſicut fœnum & flos agri: Miſerator, & miſericors, & iuſte Domine.

Deus ęterne, in cuius humana cõditio poteſtate cõſiſtit: animas omnium fidelium Defunctorum, quæſumus, ab omnibus abſolue peccatis: vt Pœnitentiæ fructum, quem voluntas eorum optauit, præuenti mortalitate non perdant. Qui in cru *Luc. 23.* ce poſitus Latronem ſerò pęnitentẽ

ſuſcepiſti: eorum precamur piè peccata dilue.

Abſolue Domine animas fidelium Defunctorum, ab omni vinculo delictorum: vt in Reſurrectionis gloria inter Sanctos tuos reſuſcitati reſpirent. Per te IESV Chriſte Saluator mundi. Requiem æternam dona eis Domine: & Lux perpetua luceat eis.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor: animabus famulorum famularumq; tuarum, & omnium fidelium Defunctorũ, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

REQVIESCANT IN PACE. Amen.

PRECATIO GENERALIS PRO VNIVERSIS ECCLESIAE PRESSVRIS: *& pro omnibus Fidelibus, & viuis Defunctis.*

Ioan Ferus.

AVGE in nobis Domine Deus, Fidem, Spem, & Charitatem in te: radicitus extirpa omne peccatum & vitium, discordiam, infidelitatem, errores, opiniones. Increpa errantes, cōuerte incredulos, schismaticos in Ecclesiæ vnitatem recollige: lumen gratiæ tuæ ostende illis. Ecclesiæ tuæ Pastores, & Præpositos: cæterosq́; primores: Imperatorem, Reges, Duces, Episcopos: & omnem potestatem, ab omnibus aduersitatibus corporum animarumq́; custodi: peccatores ad veram pęnitentiam conuerte, iustos in bono cōserua: cogitationes eorum, verba & opera confirma. Miserere omniū Domine: & in tua seruitute corrobora tibi deditos, enutri operarios, erige mœstitia pressos, infirmos cura, egētibus necessaria administra: peregri-

nantibus & exulantibus optatũ largire reditum in patriam: in periculis maris constitutis portum tribue salutis: prægnantes aspectu liberorũ lętifica: solue captiuos: omnibus qui vel mecum peccauerunt, vel quos ego ad peccandum impuli, dimitte. Tu Pater iniuria affectis per me, vel contristatis, vel scandalizatis, vel circumuentis à me, redde cẽtuplum. Sanguine vel familiaritate coniunctorum mihi, vxoris, liberorum, parentum: fratrum & sororum, famulorum & seruularum, quorum & opera vel ope vtor: vel qui pro me orant, quiq; se in meam orationem commendarunt: omnium bene de me sentientium iter in viam salutis tuæ dirige. Tibi enim omnium nomina cognita sunt. Da hic in tua agnitione, in tuo timore viuẽtes, te ad veram sequantur patriam. Exaudi illos, in quacunq; tribulatione clamauerint ad te. Animas eorum è faucibus infernalis eripe Tyranni. Inimicis nostris & nobis, Charitatem, Pacemq; largire perpetuam. Fructibus terræ aeris serenitatẽ tribue: vt

vitæ nobis necessaria administrent. Sit in omnibus Patientia, Benignitas, Misericordia, concors Vnanimitas. Procul sit inuidia, ira, & amarulentia. Sed & pijssime Pater, omnium in Christo dormientium animarum miserere: si ita voluntas tua est, sitq; is earum status, vt vlla eis prodesse possit oratio: quod tuæ tantùm scientiæ reseruatum est. Immēsæ, inexhaustæque tuæ misericordiæ memor, earum recordare Domine: in primis Parentum meorum, cæterorumque Cognatorum meorum, quibus cum familiariter conuersatus sum, dum viuerent: quorum nunc hæreditates possideo: omniũque, qui iam inde à principio tua in fide requiescunt. Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis.
Amen.

PRECATIONES XIV.

DOXOLOGICAE ET EVcharisticæ ad Sanctissimam Trinitatem.

D. AVGVST. DOXOLOGIA, ad S. Trinitatem.

O Summa Trinitas, virtus Vna, & indiscreta Maiestas, DEVS noster, Deus omnipotens. Confiteor ego tibi vltimus seruorum tuorum, & exiguum membrum Ecclesiæ tuę. Confiteor tibi, & honorifico te debito sacrificio laudis. Et quia exteriora mihi munera desunt, quæ possim offerre, ea quæ in me sunt vota laudationis, ex dono misericordiæ tuæ, ecce offero tibi de fide non ficta, & conscientia pura. Credo igitur te ex toto corde, Rex cœli & terræ Domine, & ore te confiteor, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: in personis Trinum, & in substantia vnum: verum Deum omnipotētem, vnius simplicis & incor-

Medit. c. 12.

poreæ, inuiſibilis, & incircunſcriptę naturæ: in magnitudine infinitum: in virtute omnipotentem: in bonitate ſummum: in ſapientia inæſtimabilem: in conſilijs terribilem: in iudicijs iuſtum: in verbis veracem: in operibus ſanctum: in miſericordijs copioſum: erga delinquentes patiētiſſimum: erga pœnitētes piiſſimum: ſemper eundem ipſum æternum, ac ſempiternum: immortalem atque immutabilem. Cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit: nec præterita trāſeunt, nec futura ſuccedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incremētum, nec caſus finem dabit: ſed ante ſæcula, & in ſæculis, & per ſæcula in æternum viuis, & eſt tibi perennis Laus & gloria æterna: ſumma poteſtas, & ſingularis honor, perpetuum regnum, ſine fine imperium, per infinita & immortalia ſæcula ſæculorum: Amen.

ALIA EIVSDEM AD S. TRINITATEM.

Tedit. ca 33 Tibi Sancti & humiles corde, tibi Spiritus & animæ iuſtorū, tibi

omnes

omnes ſuperni ciues, & cuncti beatorum ſpirituum ordines, gloriam & honorem ſuppliciter adorantes concinunt ſine fine. Et ego peccator homuncio, deſiderio magno cupio te laudare: amare te opto amore præcipuo. Deus meus, Vita mea, fortitudo mea, & laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumẽ in corde, verbum in ore: vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris, & quia pollutus labijs ego ſum: munda, obſecro, cor meum ab omni inquinamento: ſanctifica me ſanctificator omnipotens, & fac me dignũ laudibus tuis. Suſcipe ſacrificium labiorum meorum: fiatq́; acceptabile in conſpectu tuo, & aſcẽdat ad te in odorem ſuauitatis. Memoria tua ſancta, & dulcedo tua beatiſſima, poſſideat totam animam meam: atque in inuiſibilium amorẽ rapiat eam. Trãſeat de viſibilibus ad inuiſibilia, de terrenis ad cœleſtia, de tẽporalibus ad æterna: tranſeat & videat viſionẽ mirabilem. O æterna veritas, ô vera

Eccl. 15.

Eſa 6.

 chari-

charitas, ô chara æternitas: tu es Deꝰ meus, ad te suspiro nocte ac die: tibi inhio, tibi intendo, ad te peruenire desidero. Tribue Domine, vt donec in hoc fragili corpore positus sum, laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & claritas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS CXLIIII.

Est magnifica Dei laus, ob magnitudinem infinitam, & potentiam bonitatemq́ immẽsam: cuius regnum misericordiæ & gratiæ est æternum: in quo lapsi eriguntur, afflicti teguntur, & orantes exaudiuntur. Deniq́ animalia etiam, ipsius benedictione implentur.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum: & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculũ, & in sæculum sæculi.

Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundãtiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt.

Miserator & misericors Dominus: patiens & multùm misericors.

Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent: & potẽtiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Alleuat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes eliſos.

Oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tẽpore opportuno.

Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocãtibus eum in veritate.

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſæculum: & in

sæculum sæculi.

Gloria Patri & Filio: & Spiritui sancto.

EX SVAVISSIMO ECCLEsiæ Cantico de Sancta Trinitate.

Benedicta semper sancta sit Trinitas.

O Veneranda Trinitas. O adoranda Vnitas. Per te sumus creati, vera Aeternitas. Per te sumus redempti, summa tu Charitas. Populum cunctum tu protege, salua, libera, erige & emunda. Te adoramus omnipotens: tibi canimus: tibi laus & gloria. Per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HYMNVS DE SANCTA Trinitate.

ADesto sancta Trinitas,
Par splendor, vna Deitas,
Qui extas rerum omnium,
Sine fine Principium.
Te cœlorum militiæ
Laudat, adorat prædicat,
Triplexq; mundi machina
Benedicit per sæcula.

Adsumus nos cernui
Te adorantes famuli,
Vota precesq; supplicum,
Hymnis iunge cœlestium.
Vnum te Lumen credimus,
Quod & ter idem colimus,
Alpha & Omega quem dicimus,
Te laudet omnis spiritus.
Laus Patri sit ingenito,
Laus eius Vnigenito,
Laus sit sancto Spiritui:
Trino Deo & simplici.

ORATIO ECCLESIAE.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere: & in potētia maiestatis ador[a]re Vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper protegamur aduersis. Qui viuis & regnas, &c.

PRECATIO EVCHARISTICA *stica ad Deum Patrem.*

Ex Hort. animæ.

DOmine sancte Pater omnipotens, æterne Deus: qui coæqualem, consubstantialem, & coæternū

tibi ante omnia ſæcula Filium, ineffabiliter genuiſti: cum quo, atq; cum Spiritu ſancto, ex te, eodemq; filio tuo procedente, cœlum, terrã, mare: & omnia quæcunq; exiſtunt, viſibilia & inuiſibilia, mirabiliter creaſti. Tuæ maieſtati diuinæ gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq; magnifico. Eſto, queſo, propitius mihi miſerrimo peccatori, & ne deſpicias opus manuum tuarum: ſed libera, ſalua, adiuua me propter nomen ſanctum tuum. Qui viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD DEVM FILIVM.

DOmine IESV Chriſte Fili Dei viui: qui es verus & omnipotens Deus, ſplendor & imago Patris, & vita æterna: cui eſt vna cum æterno Patre & Spiritu ſancto, æqualis honor, eadem gloria, coæterna maieſtas, vnaque ſubſtantia: Tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teq; glorifico. Ne me, quæſo, perire patiaris: ſed ſalua & adiuua me, gratuito munere tuo: quem di-

gnatus es redimere precioſo ſangui ne tuo. Qui cum eodem Patre in vnitate Spiritus ſancti, viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD DEVM SPIRITVM S.

DOmine Spiritus ſancte Deus: qui coęqualis, cõſubſtantialis, & coæternus Patri, Filioq; exiſtens, ab vtroq; ineffabiliter procedis: quique ſuper eundem Dominũ noſtrũ IESVM Chriſtum, in columbæ ſpecie, & ſuper ſanctos Apoſtolos ſuos in linguis igneis deſcendiſti: tibi gratias ago, te adoro, te laudo, te benedico, teque glorifico. Diſpelle à me quæſo, tenebras totius erroris, incredulitatis & iniquitatis: & accende in me lumen Veritatis per miſericordiam tuam: & ignem ſanctiſſimi amoris tui. Qui viuis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

CANTICVM S. SERAPHIM.

Eſa. 6.

SAnctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: plena eſt omnis terra Gloria eius.

CANTICVM QVATVOR ANImalium & viginti quatuor Seniorum

SAnctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia. *Apoc. 4.*

CANTICVM SS ANGElorum.

BEnedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen. *Apoc. 7.*

GRATIARVM ACTIO, DEO, *pro rerum omnium Creatione: & Diuinæ voluntatis agnitione.*

GRatias ago tibi Deus Pater, ex quo omnia: Gratias ago tibi Fili Dei, de Deo, Deus, per quem omnia: Gratias ago tibi Spiritus sancte Deus, in quo omnia: quod vniuersum orbem terræ, & omnes creaturas: quidquid etiam in rerum natura est, viuit, mouetur; verbo potentię *Rom. 1.*

tuæ

tuæ creasti: sapientia tua moderaris atque sustentas: quòd omnia ligna, arbores frugiferas, lapides, gramina, flores, herbas, & vniuersa virgulta, in vsum hominum cōdidisti. Magnifico te, quòd mare, & omnes aquas fontium, riuorum, fluminumq; verbo tuo creasti: atq; illis virtutē indidisti, vt varios pisces, & omnis generis aquatilia producerent, quibus vtantur homines. Glorifico te Opificem rerum omniū DEUS: quôd in aere, volucres & aues pennatas, multiformis speciei hominibus in escam dedisti. Benedíco te Domine DEUS: quòd totam terræ huius machinā, vnà cum omnis generis creaturis, generi humano largitus es, & constituisti eum super opera manuū tuarum: omniaq; subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas: insuper & pecora campi: volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Tibi gratias ago Creatori & DOMINO meo: quòd me creaturam tuam hominem rationalem condidisti, & omnes sensus dedisti: & adhuc conseruas, ac contra

Gen. 1.

Psal. 113

Psal. 8.

pericula

pericula protegis, atque à malis liberas. Præcipuè autem quòd me attraxeris ad te: vt cognoſcam te ſolũ verum Deum, & quẽ miſiſti IESVM Chriſtum: inſuper & quæ tibi placent, manifeſta feciſti mihi. Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redemit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: benedic anima mea Domino.

Ioan. 6. *Ioan. 17.* *Baru. b.4.* *Pſal. 102*

GRATIARVM ACTIO, PRO *Redemptione generis humani: quæ facta eſt in Chriſto Ieſu D. N.*

IESV Chriſte, Fili Dei viui: qui es Verbum æternum, quod in principio erat ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius portãs omnia verbo virtutis tuæ. Te adoro Lumen de lumine: Deũ verum de Deo vero: genitum non factum, conſubſtãtialem

Ioan. 1. *Heb. 1.*

Patri, per quē omnia facta sunt. Qui secundum ęternum consilium, & decretū Patris tui, & Spiritus sancti tui: & volūtatem tuam liberrimam, propter nos homines, & propter nostram salutem descendisti de cœlis: & incarnatus es de Spiritu sancto ex Maria virgine illibata & purissima. Naturam humanam verè suscipiens, nos miseros, perditos, & damnatos homines redemisti ab omnibus peccatis: à Morte æterna, & Satanæ potestate: non equidem auro & argento, sed sanguine tuo sancto & pretioso: & transtulisti in Regnum tuum. O Christe mitissime, quàm admiranda est Charitas tua erga genus humanum: quàm ineffabilis Bonitas tua: quàm incōparabilis Humilitas, quoniam tu iustus pro iniustis mortuus es. Maiorem Charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Nunc autem abundantissimam & flagrantissimā Dilectionem tuam commendas nobis: quod tu expers omnis criminis pro nobis mortem subire voluisti, cum adhuc essemus peccatores &

1. Pet. 2.
Coloß 1.
Rom. 5.
Ioan. 15.

inimici: nosque per mortem tuam reconciliasti Patri tuo, condonans nobis delicta omnia: deleto, quod aduersum nos erat, chirographo, quod erat contrarium nobis: & illud sustulisti è medio affixum cruci: expoliatosque principatus & potestates, ostentasti, palàm triumphans de illis per temetipsum: atque per Resurrectionem tuam salutiferam ex mortuis, reparasti nobis iustitiã veram: & fecisti nos Deo acceptos. Traditus es namq; propter delicta nostra: & resurrexisti propter iustificationem nostram. Domine IESV Christe, Agne Dei qui tollis peccata mundi, miserere nostri: & concede nobis tuam gratiam, vt sacratissimæ tuæ passionis fructus, sit nobis efficax & salutaris: ne pereat vnquã in nobis labor & dolor tuus, quẽ sustinuisti pro nobis: vt, qui viuimus, iã non nobis viuamus, sed tibi: qui pro nobis mortuus es, & resurrexisti: & viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto in omne æuum Amen.

Coloss. 2.

Rom. 4.

Ioan. 1.

2 Cor 5.

INSIGNIS D. AVGVSTINI Precatio, pro Dei gratia: vt ei pro suis donis, debitas quotidie laudes rependamus.

Medit ca. 7

O Quantũ sumus tibi debitores Domine Deus noster: tanto redempti pretio, tanto saluati dono, & tam glorioso adiuti beneficio? Quãtum à nobis miseris es timendus, amandus, laudandus, honorandus & glorificandus: qui nos sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti, sic sublimasti? Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod viuimus, omne quod sapimus. Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noster, à quo bona cuncta procedunt: propter te & nomen sanctũ tuum, da nobis de bonis tuis, vt de bonis ac datis tuis seruiamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes repẽdamus tibi pro tantis beneficijs misericordiæ tuæ: non enim aliunde possumus tibi seruire, neque placere, nisi de tuo munere. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, de sur-

Iac. 1.

ſum eſt, deſcendens à te Patre lumi-
num: apud quem non eſt tranſmuta-
tio, nec viciſſitudinis obumbratio,
DOMINE DEVS noſter, DEVS pie,
Deus bone, Deus omnipotẽs, & Do-
mini noſtri IESV Chriſti Pater: qui
eundem dilectum filium tuum Do-
minum noſtrum dulciſſimum mi-
ſiſti de ſinu tuo ad publicum profi-
cuum noſtrum, ſuſcipere vitam no-
ſtram, vt nobis daret ſuam: eſſetque
perfectus Deus ex te Patre, & per-
fectus homo ex virgine matre, totus
Deus & totus homo: vnus idemque
Chriſtꝰ æternꝰ & tẽporalis, immor-
talis & mortalis, Creator & creatus,
fortis & infirmus, nutritor & nutri
tus, Paſtor & ouis, tẽporaliter mor-
tuus & tecum viuens in æternum:
qui ſuis dilectoribus vitæ munici-
pium promittens, dixit: Quodcun-
que petieritis Patrẽ in nomine meo,
dabit vobis. Per ipſum ſummum Sa-
cerdotem & verum Pontificem &
bonum Paſtorem, qui ſe tibi obtulit
in ſacrificium, ponens animam ſuam
pro grege ſuo, te rogo: per ipſum qui
ſedet ad dexteram tuam, & interpel

2. Cor. 1.

Ioan. 16.

Ioan. 10.

Rom 8. lat pro nobis: Redemptorem & Aduocatum nostrum: pietati & bonitati tuæ supplico clementissime & amantissime & benignissime amator hominum Deus: vt des mihi cum eodem Filio tuo & Spiritu sancto, te in omnibus benedicere & glorificare cum multa cordis contritione, & lacrymarum fonte: cum multa reuerentia & tremore: quia quorum vna est substantia, vnũ est & datum. Sed quoniam corpus quod corrumpitur aggrauat animam: excita quæso torporem meum tuis stimulis: & fac me strenuè perseuerare in pręceptis & laudibus tuis die ac nocte. Tribue vt concaleat cor meum intra me: & in meditatione mea exardescat ignis. Et quia ipse vnicus Natus tuus dixit: Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Et: Nemo venit ad Patrem nisi per me: obsecro & suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum, vt ipse me tandem per ducat ad te, illuc vbi ipse est in dextera tua sedens. Vbi est sempiterna vita, sempiternè beata: vbi est amor perfectus, & timor nullus: vbi est

Psal. 38.

Ioan. 6.

dies æternus, & vnus omnium spiritus: vbi summa & certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, & iucunda fœlicitas, & fœlix æternitas, & æterna beatitudo, & beata tui sine fine visio atque laudatio. Vbi tu cum illo, & ille tecum, in communione sancti Spiritus æternaliter viuis & regnas Deus, per omnia sæcula. Amen.

PRECATIONES ET MEDITATIONES,

XV.

IN S. INCARNATIONIS & Natiuitatis, Paßionis & Resurrectionis, atq; etiam gloriosæ Asiensionis D. N. IESV Christi Mysteria.

ADMONITIO.

De IESV CHRISTO *cogitabis, non vt de quopiam bono & sapienti viro, sed tanquam de virtute & sapientia & bonitate Dei: quem Pater dedit recõciliationem & salutem hominum. Magistrum atq; exemplar generis humani. Illius fiducia erit lapis*

Io. Lu. Vi. 1 Cor. 1.

ædificij firmißimus: Vita eius pro antidoto cuiusuis morbi atq; affectus: Supplicium, pro solatio incommodorum & calamitatum vita: Resurrectio, pro spe verorum bonorum.

IN S. IESV CHRISTI IN*carnationem & Natiuitatem, Meditatio.*

August. lib. Medit. ca 15

O Immensa Pietas, ô inæstimabilis Charitas: vt liberares seruum, Filiũ tradidisti. Deus factus est homo: vt perditus homo de potestate dæmonum erueretur. Quàm benignissimus amator hominum Filius tuus Deus noster? cuius pijs visceribus non satis visum est, vt se inclinaret factus homo de vera virgine Maria: nisi etiam subiret Crucis supplicium, effuso Sanguine propter nos, & propter nostram salutem: Venit pius Deus, venit pro pietate & bonitate sua; venit quærere & saluũ facere quod perierat. Quæsiuit Ouem perditam: quæsiuit, & inuenit & humeris suis reportauit ad caulas gregis. Pius Dominus, & verè multùm pius Pastor. O Charitas, ô Pietas,

Luc. 15.

quis audiuit talia? quis ſuper tanta miſericordiæ viſcera non obſtupeſcat? quis non miretur, quis non collætetur propter nimiam Charitatẽ tuam, qua nos dilexiſti? Miſiſti filiũ tuum in ſimilitudinem carnis peccati: vt de peccato damnaret peccatum, vt nos efficeremur iuſtitia tua in ipſo. Ipſe enim verus eſt Agnus immaculatus, qui abſtulit peccata mundi: qui mortem noſtram moriẽdo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Sed quid tibi retribuere poſſumus Deus noſter, pro tantis beneficijs miſericordiæ tuæ? Quas laudes, quaſve gratiarum actiones? Etiamſi illa beatorum Angelorum ſcientia & potentia nobis foret: nihil tamen dignum tantæ Pietati & Bonitati tuę compenſare valeremus. Si certè omnia membra noſtra verterentur in linguas: ad rependẽdum tibi debitas laudes, nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra. Supereminet enim omnem ſcientiam tua inæſtimabilis Charitas: quam oſtendiſti nobis indignis, pro ſola Bonitate & Pietate

Eph. 2.
Rom. 8.
Ioan. 1.

tua, Filius nanque tuus Deus noster, non Angelos, sed semen Abrahæ apprehēdit: assimilatus nobis per omnia absque peccato. Humanam itaq; non angelicam suscipiens naturam, & eam stola sanctæ Resurrectionis & Immortalitatis glorificans, vexit super omnes cœlos, super omnes choros angelorum, super Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram tuā. Gratias proinde ago tibi labijs & corde: & omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ tuæ, Domine Deus noster, pro omnibus miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subuenire dignatus es, per eundem filium tuum Saluatorē & Recuperatorem nostrum. Qui tecum in communione Spiritus S. viuit & regnat Deus, per omnia sęcula sæculorum. Amen.

Heb. 2.

IN NATIVITA. D. N. IESV *Christi, D. Augustini Precatio.*

Medit. c. 16.

O Admirabile mysterium, ô inenarrabile cōmercium. O mira semperque miranda, semperque

amanda Diuinę propitiationis benignitas. Serui digni non fuimus, & ecce filij Dei facti sumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vnde hoc nobis, & quis nos ad hoc perduxit? Sed rogo te clemẽtissime Pater Deus, per hanc inæstimabilem Pietatem, Bonitatem & Charitatem tuam: vt dignos nos facias multis & magnis promissionibus eiusdem Filij tui Domini nostri IESV Christi. Manda virtuti tuæ, & confirma hoc quod operatus es in nobis: perfice quod cępisti, vt ad plenam tuæ Pietatis gratiã mereamur peruenire. Fac nos per Spiritum sanctum intelligere & mereri, & debito semper honore venerari hoc magnum Pietatis mysterium: quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Vbi viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 8.

Psal. 67.

1. Tim. 3.

(***)

PSALMVS LXXXIIII.

Est insignis Prophetia, & Precatio liberationis è dura peccati & diaboli seruitute, qua genus humanum captiuum, per Christi IESV *Incarnationem & Natiuitatem liberatum est: per Dei misericordiam, veritatem & iustitiam, quæ in Aduentu Christi orbi declaranda erant.*

BEnedixisti Domine terram tuã: auertisti captiuitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuę: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.

Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.

Nunquid in æternum irascêris nobis: aut extendes iram tuam in generatione & generationem?

Deus tu conuersus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pa-

cem in plebem suam.

Et super sanctos suos: & in eos qui conuertuntur ad cor.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: vt inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

CANTICVM ESAIAE. CAP. XII.

Canticum est gratulationis Ecclesiæ Dei, gaudio exultantis: Deoq; gratias agentis: ac membra sua ad laudes diuinas exhortantis, propter beneficia D.N. Iesu Christi: qui nos sua S. Natiuitate Deo Patri reconciliauit.

CONfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me.

Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Et dicetis in die illa.

Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuersa terra.

Exulta & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israel.

HYMNVS DE NATIVITATE Christi.

CHRISTE Redemptor gentiũ,
De Patre patris Vnice,
Solus ante principium
Natus ineffabiliter.
Tu Lumen, tu Splendor Patris,
Tu Spes perennis omnium.
Intende quas fundunt preces

Tui per orbem famuli.
Memento salutis autor,
Quòd nostri quondam corporis
Ex illibata virgine
Nascendo, formam sumpseris
Sic præsens testatur dies
Currens per anni circulum,
Quòd solus à sede Patris,
Mundi salus adueneris.
Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sumus sanguine,
Ob diem Natalis tui
Hymnum nouum concinimus.

ORATIO ECCLESIAE.

Concede quæsumus omnipotēs Deus: vt nos Vnigeniti tui noua per carnem Natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Per eundem Christum D. N. Amen.

ALIA.

Deus, cuius Vnigenitus in substātia nostræ carnis apparuit: præsta quæsumus, vt per eum, quem similē nobis foris agnouimus, intus reformari mereamur Qui tecū viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæc. Amen.

GRATIARVM ACTIO D. BERnardi, pro Incarnatione & Natiuitate D.N. IESV Christi.

ADoramus te Christe, Rex Israel pariter & gentiũ, Princeps regum, terræ Dominus, Deus Sabaoth, Virtus Dei omnipotentis fortissima. Adoramus te pretiosum pretium Redemptionis nostræ, hostiam pacificam: qui sola odoris tui suauitate inæstimabili, Patrem qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinasti: & filijs iræ placabilem reddidisti. Tuas Christe miserationes prædicamus: tuæ suauitatis memoriam cum abundantia eructamus. Tibi Christi sacrificium laudis immomolamus: pro multitudine Bonitatis tuæ, quam ostendisti nobis semini nequam, filijs sceleratis & perditis. Cùm enim adhuc inimici tui essemus Domine, & mors iniqua in omnem carnem exerceret dominium, cui omne semen Adam erat obnoxium lege primordialis culpæ: recordatus es verbi misericordiæ tuæ, & prospexisti ex sublimi habitatione tua in hanc vallem

Ephes. 5.

Psal. 144

Esa 1.
Rom. 9.

plorationis & miseriæ nostræ. Vidisti afflictionem populi tui: & tactus dulcore Charitatis intrinsecus, apposuisti cogitare super nos cogitationes pacis & redemptionis. Et quidem cum esses filius Dei, Deus verus, Deo Patri sanctoq; Spiritui coæternus & consubstantialis, lucem inhabitans inaccessibilem, portansq; omnia verbo virtutis tuæ: nō despexisti in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem tuam inclinare. vbi nostrā & gustares & absorberes miseriam, nosq; reparares ad gloriam. Parum fuit Charitati tuæ, ad consummandum opus nostræ salutis, Cherubim ac Seraphim, aut vnum ex Angelis destinare: ipse venire ad nos dignatus es, per mandatum Patris: cuius nimiam Charitatem experti sumus in te. Venisti à regali solio sublimis Gloriæ tuæ, in humilem & abiectam in oculis suis puellam: in cuius sacro vtero sola S. sancti inenarrabilis virtus te cōcipi fecit, & nasci in veræ humilitatis natura: ita vt nec Diuinitatis in te maiestatem, nec virginitatis integritatem

Exod. 3.
Hiere. 29.
1 Tim. 6.
Heb. 1.
Eph. 2.
Matth. 1.
Luc. 1.

in matre violaret natiuitatis occasio O admiranda, ô amanda dignatio! Deus immensæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri nō despexisti. Deus omnium, cōseruus seruorum apparere voluisti. Parum tibi visum est: Patrem te nobis esse & Dominum: frater noster esse dignatus es. Et tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam, intra ipsa Natiuitatis tuæ initia non horruisti abiectissimę paupertatis degustare incommoda. Vt enim ait Scriptura: tibi cùm nascereris, non erat locus in diuersorio: neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent, habuisti: sed in vili præsepio sordentis stabuli, tu qui terram palmo concludis, inuolutus panniculis, reclinatus es. Sed & tenella tua Christe Infantia à persecutorum gladijs tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcis matris vbera fugiens dependebas, quando apparuit Angelus in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicā tibi: futurum est enim, vt Herodes

Psal. 21.

Luc. 2.

Matth. 2.

quærat

quærat puerum ad perdendum eũ. Iam ex tunc, bone IESV, dura pati cœpisti: & didicisti ex ijs, quæ passus es, obedientiam: vsque dum per mortem crucis cõsummatus, factus es omnibus obtemperantibus tibi causa salutis æternæ. O Saluator meus & Deus meus: tibi cum Patre & Spiritu sancto, gloria, gratiarum actio, honor & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

Hebr. 5.
Phil 2.

ALIA GRATIARVM ACTIO pro generis humani creatione: ac per Iesum Christum Restauratione.

GRatias ago tibi sancta Trinitas, & inseparabilis Vnitas: Pater, Fili, & Spiritus sancte: Deus omnipotens & æterne: qui ad declarandã ineffabilem Bonitatis tuæ largitatẽ, in principio creasti cælũ & terram, mare & omnia quę in eis sunt: atque præ cæteris creaturis speciali honore dignitatis hominem ad imaginẽ & similitudinem tuam sublimasti: dominio potentem, ratione sapientem, vita innocentem. Laudo & ho-

Ex vetusto Codice.
Gen 1.
Psalm. 145.

Gen 3
Abac. 3.

norifico te Deus pijssime : pro tua maxima miseratione & misericordia, qua homini præuaricanti, & beneficijs tuis ingrato, pepercisti tamē & cùm iratus esses, misericordiæ recordatus es. Tuam igitur clementissime Deus, ineffabilem Misericordiam, cum Gratiarum actione, prædicamus: quam nobis sceleratis & perditis hominibus & venundatis sub peccato, exhibuisti. Tu enim, cuius natura Bonitas : cuius voluntas Potentia : cuius opus Misericordia est: pro tua immensa Clementia & gratuita Bonitate, hominem diabolica malignitate deceptum, non distulisti ad te reuocare: spem faciens veniæ & adipiscendę salutis per promissum Messiæ aduētum: Quem quidem desiderabilem Aduentum, mirabilibus signis, ac multiplicibus oraculis prænunciare dignatus es.

Esa. 1.
Rom. 7.

Laus & honor sit tibi Domine Iesu Christe, restaurator generis humani: pro tua nimia Charitate, qua hominem mirabiliter creatum, mirabilius restaurare iam perditum & reformare voluisti: & cū essemus ini-

Eph. 2.
Rom 5.
Esa. 63.

mici tui, prospexisti nihilominùs de cœlo, de habitaculo sancto tuo, & solio gloriæ tuæ, in hanc vallem plorationis & miseriæ. Vidisti afflictionem magnam super terram: & graue onus super filios Adam. Quocirca vbi venit plenitudo temporis: visitasti nos Oriens ex alto. O dulcissime IESV, splẽdor æternæ gloriȩ, quantò te minorem in humilitate tua fecisti, tantò te maiorem mihi in bonitate demonstrasti: & quantò pro me factus es vilior, tantò mihi charior esse debes. Proinde gratias ago tibi Domine IESV: qui ante principium ex Patre genitus ineffabiliter, dignatus es ex Maria virgine nasci temporaliter: & in sordenti stabulo, in angusto collocari præsepio. Tua Domine sancta Natiuitate iuncta sunt ima summis, & humana diuinis: & quem piget de origine Adam, damnabiliter esse genitum, gaudeat de tua incontaminata Natiuitate confidens, fœlicissimè tua cooperante gratia se esse renatum. Fac nos Domine Iesu, Spes perennis omniũ: per quem habemus accessum, per fi-

Exod. 3. *Gal. 4.* *Luc. 1.* *Heb. 1.* *Psal. 109.* *Luc. 2.* *Rom. 5.*

dem, in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: fac nos deuota tibi mente cum sanctis Angelis tuis, quos fecisti lætos tuæ Natiuitatis præcones, canere canticum illud nouum. *Luc. 2.*

Gloria in Altißimis Deo & in Terra pax Hominibus bonæ voluntatis. Amen.

XVI.

IN SALVTIFERAM AC VIVIFICAM D. N. IESV *Christi Paßionem & Mortem, S. Augustin. Meditatio.*

QVOMODO nos amasti Pater sancte & bone! quantum nos dilexisti pie Conditor: qui etiam proprio filio non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti illum? Subditus tibi ille fuit vsque ad mortem, mortem autem crucis: tollens chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, crucifixit peccatum & occidit mortem, v- *Med. cá. 13. 14.* *Rom 8.* *Phil. 2.* *Coloss. 2.*

nus ille inter mortuos liber. Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas: nisi Verbum tuũ Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo: quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filij tui, quantò magis reconciliati, salui facti sumus per eum? Omnis nanque spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutẽ. In ipso respiro: & in ipso confisus ad te peruenire desidero: non habens meam iustitiam, sed eam quæ est ex filio tuo Domino nostro IESV Christo. Cum quo tibi sit laus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 87.

Ioan. 1.

Rom. 5.

Matth. 26.

Phil 3.

Eiusdem Augustini in Paßionem D. N. IESV Christi, Precatio.

OMnipotens Pater, per omnipotentis filij Charitatem postulo: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo: libera me à vinculis peccatorum, per coæternum flagito vnicum tibi natum:

Medit. c. 5. 6 & 8.

Psalm. 141.

meque cui propria merita lethale minantur sententiam, per preciosissimæ ad dexteram tuam consedentis Prolis interpellationem, restaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigam intercessorem nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris: qui sedet ad dexteram tuam interpellans pro nobis. Ecce Aduocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui nõ alieno eget expiari sanguine, qui proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, beneplacens & perfecta, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit: qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum nõ aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit: & languores nostros suo sanauit liuore. Aspice Pater pie, pijssimum Filium tuũ, pro me tam impia passum. Respice clementissime Rex, quis patitur: & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine innocens ille: quẽ, vt seruũ redimeres,

1. Ioan. 2. *Rom. 8.* *Eph. 5.* *Psal. 53* *1. Pet. 2.*

Filium tradidiſti? Nunquid autor vitæ hic eſt: qui vt ouis ad occiſionem ductus, tibiq; ad mortem vſq; obediens factus, atrociſſimæ non timuit necis genus ſubire? Recole totius ſalutis diſpenſator: quia hic eſt, quem etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti. Verè hæc eſt tua Deitas, quę meam induit naturam, crucis aſcendit patibulum: quæ in aſſumpta carne triſte tulit ſupplicium. Reduc Domine Deus meus oculos tuæ Maieſtatis ſuper opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extenſum: cerne manus innoxias pio manantes ſanguine: & remitte placatus ſcelera, quæ perpetrarũt manus meæ. Conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide: & renoua me ſacro fonte, quẽ inde credo profluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis: & perfice greſſus meos in ſemitis tuis: & fac me odio habere benignus omnem viam iniquitatis. Viam iniquitatis

Phil. 2.

Pſal. 16.

Pſal. 118.

tis amove à me: & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex ſanctorum, per hunc Sanctum ſanctorum, per hũc redemptorem meũ: fac me currere viam mandatorum tuorum: vt ei valeam ſpiritu vniri, qui mea non horruit carne veſtiri. Nunquid non attẽdis pie Pater, adoleſcentis filij chariſſimi caput niuea ceruice deflexa pretioſiſſimam reſolutum in mortem? Aſpice mitiſſime conditor dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Candet nudatum pectus: rubet cruentum latus: tenſa arent viſcera: decora languent lumina: regia pallent ora: procera rigent brachia: crura pendent marmorea: rigat terebratos pedes beati ſanguinis vnda. Specta glorioſe genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra: & memorare benignus quę mea eſt ſubſtantia. Conſpicare Dei hominis pœnam: & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide redemptoris ſupplicium: & redempti dimitti delictum. Hic eſt Domine mi, quem propter peccata populi tui percuſſi-

Pſal. 88

Eſa 53.

ſti.Hic eſt ille innocens, in quo dolus non eſt inuentus: & tamen inter iniquos deputatus eſt.Ecce omnipotens Deus,Pater D.N. IESV Chriſti: direxi tibi Aduocatum meum, dilectum Filium tuum. Amplectere ſerenus paſtorem: & reſpice miſericors allatam proprijs humeris ouẽ. Hic eſt fideliſſimus paſtor ille: qui errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium, multis varijſque quæſierat laboribus: quique iam morienti, iam per longa exilia deficienti,tamẽ inuentæ gaudens ſe ſuppoſuit: & miro ſibi annisu charitatis annexum de profunda confuſionis abyſſo leuauit,pijſque aſtrictã complexibus, ad nonaginta nouem, vnam,quę perierat,reportauit.Reddit tuis conſpectibus ſeruum, quem ſua fecerat conſcientia fugitiuum: vt qui per ſe meruit pœnam,per ſatisfactionem huius mereatur veniã: cuiq; pro culpis ſupererat gehenna, tanto duce iam confidat reuocari ad patriam. Potui per me, te ſancte Pater, offendere: ſed non valeo per me placare. Factus eſt Adiutor meus,

Luc. 15.

Deus meus,tuus dilectus filius: meã participãs humanitatem, vt curaret infirmitatem: quatenus vnde causa emerserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis: meque per hoc redderet tuæ pietati placabilem, quo sedens ad dexteram tuã semper meæ substantiæ se ostéderet esse consortem. Ecce spes mea: ecce tota fiducia mea. Si pro mea, vt dignum est, despicis iniquitate: respice me misericors saltem pro dilectæ sobolis charitate. Attende in filio, quo propitieris in seruo: vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum. Eius quæso pietati impietas mea, eius modestię mea peruersitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Ipsius humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duritiam, obedientia inobediẽtiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, suauitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. Tibi sit cum Filio tuo vnigenito, Saluatore nostro, perẽnis laus & æterna gloria, per infinita & immortalia sæcula. Amen.

AD IESVM CHRISTVM PRO *nobis passum, Precatio.*

PRecor te Domine IESV, per illam eximiam charitatem tuam qua genus humanum dilexisti: quando tu Rex cœlestis pendebas in cruce, transfixo corde, transuerberato corpore, expansis manibus, extensis venit, inclinato capite: vt mihi sis placabilis, super multitudine peccatorum meorum: ac bonum & sanctum finem vitæ meæ, nec non gloriosam lætamque resurrectionem, propter tuam magnam misericordiam tribuere digneris. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Ex vetusto Cod.

MEDITATIONES IN PASsionem D. N. IESV Christi,

Ex S. Scripturæ sententijs contextæ: quibus nihil potest esse dulcius aut vtilius: D. Bernardo inscriptæ, Cum adiunctis precatiunculis, vno contextu comprehensis, ex Cornelio Croco, maxima parte selectis.

MEDITATIONIS PASSIOnis & Vulnerum D. N. IESV Christi, vtilitas. Ex D. Augustini Manual. cap. 22. & 23.

Cvm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei: & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis: Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors eius Meritum meum, Refugium meũ, Salus, Vita & Resurrectio mea. Extẽdit brachia sua in cruce, & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. Intra brachia Saluatoris

mei, & viuere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Saluator noster caput inclinauit in morte, vt oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in eius amore compangimur. Psalm. 29.

MEDITATIO DE TRISTItia & pauore Christi in horto.

Et hymno dicto: Egressus est Iesus cũ discipulis suis trans torrẽtem Cedron: &c, Matt. 26. Ioan. 18.

DAto charitatis & patientiæ salutari mandato Domine IESV, & disposito fratribus regno Patris tui, ad locum proditori tuo notum cum illis diuertisti: sciẽs omnia quæ ventura erant super te. Ibi animę tuę tristitiam, quam ex imminente passione sponte assumpsisti: sicut & cætera quæ passus es: in auribus fratrũ non erubuisti profiteri, dicens: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Positis quoq; in terra genibus procidisti in faciem, orans in agonia, & Ioán. 13. 15. Luc. 22.

dicens: Mi Pater: Si possibile est, trã-seat à me calix iste. Et angustias quidem cordis tui, certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tẽpore de carne tua sanctissima guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine IESV: vnde tua tam anxia hæc supplicatio? Nonne volũtariè omnino Patri sacrificium obtulisti? Vtique Domine. Arbitramur autem, quòd hoc ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti: ne fortè desperet quis, si caro infirma remurmuret, vbi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum, vt maioris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his iudicijs in te expressisti. Quibus docemur, quia verè languores nostros portasti: & non absque sensu doloris, passionum sentes percurristi. Da mihi bone IESV, omnem mæstitudinem meam in tua vincere, ac patienter pro tui nominis gloria perferre: omnem quoq; tentationẽ fortiter superare, propter te: qui dilexisti nos & lauisti nos in san-

Luc. 22.

Esa. 53

Rom. 8.

Apoc. 1.

guine tuo. O Princeps Regum terræ: gloria tibi & imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO DE PRODITIONE *Iudæ.*

Adhuc eo loquente, Ecce Iudas vnus de duodecim venit. &c. Matt. 26.

QVàm promptus ad passionẽ, DOMINE IESV, tuus fuerit spiritus, euidenter ostendisti: quando venientibus vnà cum proditore tuo viris sanguinum, & quærentibus animam tuam, cum laternis, & facibus, & armis, per noctẽ vltrò occurristi, & teipsum manifestasti. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris tui trucem bestiam, non auersatus es: sed os, in quo dolus non fuit inuentus, ori, quod abundauit malitia, dulciter applicuisti. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ cõuentio tui ad Belial? Sed & hoc benignitatis tuæ, DOMINE fuit: vt omnia illi exhiberes, quæ praui cordis pertinaciam emollire possent. Nam & veteris

Psal. 58. 34

Esa 53.
Psal. 49.
2. Cor. 6.

amicitiæ non immemor, illum commonuisti, dicens: Amice, ad quid venisti? Atq; horrore sceleris sui cor impij ferire voluisti, cum dixisti: Iuda, osculo filium hominis tradis? Da mihi bone Iesu, ad tui nominis gloriam, omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & detractiones deponere: atque insuper inimicis meis charitatis officia pro maleficijs reponere. Amen.

Luc. 22. *1 Pet. 2.* *Matth. 5.* *Rom. 12.*

MEDITATIO DE CAPTIONE IESV.

NOn à te absterruit impios, Domine IESV, quòd in hora apprehensionis tuæ, omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti: non quidem defensionis causa, sed vt cognosceret humana præsumptio, nihil se posse aduersum te: nisi quantum permitteretur à te. Et quis audiat sine gemitu: qualiter homicidas man⁹ in illa hora in te iniecerũt: innocẽtes man⁹ tuas Iesu bone, vinculis astringentes: te Agnum mansuetum nihil loquentem, ad instar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? Et nec tunc misericordiam effũdere su

Ioan. 18. *Hebr. 11.*

per inimicos tuos, & diſtillare fauũ dulcedinis tuæ, Chriſte, ceſſaſti: ac defenſoris tui zelum à læſione trahentium te, compeſcuiſti. Malcho enim abſciſſam à Petro auriculam illico reſtituiſti. Maledictus furor eorum, quia pertinax: quem nec maieſtas miraculi, nec pietas beneficij potuit confringere. Rumpe bone IESV, vincula conſcientiæ meæ male, quibus miſerè mea ſponte cõſtrictus ſum, tuæque charitatis ſuauiſſimo vinculo comprehende: vt nunquam ſanctiſſimæ tuæ repugnem voluntati. Amen.

Luc. 22. Ioan. 18. Gen. 49. Oſee. 11.

MEDITATIO DE PRAESENTATIONE *Ieſu coram Anna & Caipha Pontificibus.*

CONcilio malignantium aduerſum te Pontificum, Domine Ieſu, præſentatus, & veritatem prout oportuit confeſſus: quaſi de blaſphemia adiudicatus es morti. Amantiſſime Domine: quanta illic indigna à propria gẽte pertuliſti? Vultum tuũ deſiderabilem, in quem deſiderant Angeli proſpicere: qui omnes cœlos

Ioan. 18. Pſal. 21. 1 Pet. 1. Pſal. 44.

adimplet lętitia: quem deprecabuntur omnes diuites plebis: polluti labijs, sputo coinquinauerunt: sacrilegis manibus suis ceciderunt: velo in derisum operuerunt: & te Dominũ vniuersæ creaturę, tanquam seruum contemptibilem colaphizauerunt. Da mihi bone IESV, animum excandescentem comprimere: omnemq; exhibere modestiam erga omnes homines: & alienas calumnias & iniurias, vel euadere: vel tui respectu toleranter atque humanè ferre. Amen.

Psal. 48.
Eph. 4.
Matth. 5.

DE PRAESENTATIONE IESV, coram Pilato: deq; illusione ac flagellatione.

Mane autem facto, consilium inierunt Principes sacerdotum aduersus Iesum, &c. Matth. 27. Ioan. 19.

MEDITATIO.

ADhuc autem animam tuam, Domine IESV, incircumcisæ carni deglutiendã tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi, qui peccatum nõ

nouc-

noueras: & virum homicidam dari sibi: Agnum lupo: aurum luto postponentes. O indignum & infœlix commercium! Et quidem non ignorabat impius ille, per inuidiam hæc in te fieri: nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed repleuit animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit: in conspectu illusorum astare te iussit: nec pepercit amarissimis verberibus virgineam carnem tuã diuellere: plagis plagas, liuores, liuorib⁹ crudeliter infligere. Electe puer Dei mei: quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine vuam acerbam comedi: & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tũc exoluebas. Largire quæso bone IESV mihi peccatori: ne grauatẽ feram contemni, conuitijs dicterijsve incessi: & fac me nullis iniquorum iniurijs frangi: sed moderatẽ ferre vndecunq; accidentia aduersa, & in patientia mea possidere animam meam. Amen.

Esa 53. *1. Pet. 2.* *Iob 9.* *Esa. 42* *Matt. 12.* *Ezech. 18* *Psal. 68.* *Luc. 21*

MEDITATIO DE CORONATIONE IESV.

Et milites plectentes coronam de spinis, &c.

Ioan. 19.

IN omnibus his Domine IESV, non est satiata Iudæorum impietas. Nouissimè enim incircuncisorú militum manibus deuolutus es, morte turpissima consumendus. Parum erat sacrilegis illis, crucifigere te: nisi prius & ipsi repleuissent illusionibus animam tuam. Expergiscere nunc anima mea, & cótemplare virum hunc memorabilem: quem in speculo Euangelici sermonis, quasi præsentem intueris. Quis est iste, qui ingreditur habens imaginem quasi Regis: & nihilominus serui despectissimi confusione repletus, spinis coronatus incedit: nam ipsa etiam corona cruciatus est illi: & mille puncturis caput eius diuulnerat. Regali purpura induitur: sed potius in ea despicitur, quàm honoratur. Sceptrum in manu gestat: sed eo ipso caput eius reuerendum feritur. Ado-

Sap. 2.

rant coram ipso, positis in terra genibus, & Regem clamant: & continuò sputis amabiles eius genas subliniunt: maxillam palmis & honorabile collum exhonorant. Edoma bone IESV, inuincibilem cordis mei superbiam, & cōfirma imbecillitatem: vt non pudeat tecum ludibrio & contemptui esse: & cum veris virtutum insignibus, sub oculos tuæ Maiestatis apparere. Amen.

PRECATIO DE EDVCTIONE IESV *in montem Caluariæ.*

DOMINE IESV, qui infamem arborem Crucis, defectis iam nimia vexatione viribus, ad supplicij locum, funestum ossibus & Caluarijs interfectorum, oppidò volēs portasti: & subCrucis onere dorsum incuruans, nostram ipse portare dignatus es ignominiam. Fac me tollere Crucem meam, & sequi te, vt te dignus inueniar: ne recalcitrans caro suas sectans delitias, tuum verè suaue iugum ceruice conetur excutere. Amen.

Matth. 27. Ioan. 19.

Matt. 10.16 Matth. 11

Luc. 23.
Ioan. 19.

MEDITATIO DE CRVCI-
fixione IESV.

Psal. 21.

QVid te abiectius Domine IESV, vermis potius, quàm homo? Qui nudus & verberibus lacератus, in medio latronum cruci ignominiosæ ferreis clauis affigi, sanctissimosque artus tuos validè distendi spontaneus tolerasti: peccata nostra perferens in corpore tuo. Præsta quęso bone IESV, vt vetus ille noster homo, vnà tecum crucifigatur: vt aboleatur corpus peccati, quò posthac non seruiam peccato: ne vnquam ab integro mihi ipsi crucifigam, & ludibrio exponam te filium Dei: sed mortificationem tuã in corpore meo circumferam, vt & vita tua in corpore meo manifestetur. Fac quoq; me dulcissime IESV, in suauissimos istos tuos, dispassus in cruce manibus, amplexus fœliciter aspirare: vt in te vno, tibiq; vni viuam: imò amori tuo immoriar: neque fiat, vt abs te vnquàm diuellar. Amen.

1. Pet. 2.

Rom. 6.

Hebr. 6.
2. Cor. 4.

2. Cor. 5.

CHRI-

CHRISTO IESV D. N. PRO *nobis crucifixo & mortuo, Gratiarum actio.*

Bernardus.

O Formose præ filijs hominum, quàm deformis factus es? Vulneratus es propter iniquitates nostras, attritus es propter scelera nostra & factus es in holocaustum suauissimi odoris in conspectu Patris æternæ gloriæ: vt auerteres indignationem suam à nobis: & considere nos faceres in cœlestibus. Quid tibi bone IESV, quid tibi gratiarum tribuam, ego homo puluis & vile figmentum? Quid enim pro salute mea facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis vsque ad summum verticem te totum in aquas passionum demersisti, vt me totum extraheres de illis. Agnus es Domine IESV, qui occisus est, & redemisti nos DEO in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes: accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictio-

Psal. 44. Esa. 53. Eph. 5. Hiere. 18. Eph. 2. Esa. 5. Psal. 68. Apoc. 5.

nem. Et nunc Domine IESV Redemptor meus: te adoro verum Deum: in te confido: in te spero: adiuua imperfectum meum. Tuæ viuifici morti seruum tuum configura Domine: faciens quidem in me, vt moriar secundum carnem: viuam autem secundum spiritum iustitiæ. O Saluator meus & Deus meus.

Psal. 138

ALIAE AD CHRISTVM Crucifixum D. N. Precationes: ad septem verba vltima Christi in Cruce morientis.

Marc. 15

PRECATIO.

Cor. Cro.

DOmine IESV Christe, vere Pacificator omnium, quæ in cœlis, quæq; in terris sunt: qui pro nostra omniumque salute, in ædito loco, medius inter cœlum & terram, vt omnes pertraheres ad teipsum, in ignominioso stipite pendere voluisti. Carnem hanc adhuc humi serpentem, in Crucis tuæ palmam sustollito: ac terrenarum cupiditatum fæce deputatam, quatenus licet, in tuam naturam sursum rape: vt hu-

mana omnia è ſublimi deſpiciens, nihil admirer, nihil amem, nihil ſentiam, nihil ſapiam, niſi te crucifixũ: ac penitus recuſet conſolari anima mea, niſi in te Deo IESV meo. Qui viuis & regnas in ſæcula. Amen.

AD SEPTEM, EAQVE VLTIma Christi morientis verba, piæ Precationes.

Ieſus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. Luc. 23.

DOmine IESV CHRISTE, Redemptor innocentiſſime, qui tã bonus fuiſti etiã peſſimis, vt pro crucifixoribus tuis Deum Patrem obſecrareris: propitius eſto peccatis meis. Et fac me ad tuum pariter Exemplum & Præſcriptum, etiam inimicos diligere: bene precari deuouentibus me, benefacere his qui me odio proſequuntur, & orare pro his qui lædunt & inſectantur me: breuiter omne malum bono vincere & tecum æquo animo perferre: vt indignus diſcipulus Magiſtro, ſeruulus leuiſſimus Domino, Capiti membrum infirmum hîc conforme eſſe Matth. 5

gaudeam: vt & vnà tecum in gloria partem habere merear. Amen.

Et dixit illi (latroni) IESVS: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23.

II. DOmine IESV Christe, qui per omnem vitam tuam, nusquam non seruatorem, nusquam non consolatorem & beneficum egisti, nemine à te repulso: Huius tam inæstimabilis bonitatis tuæ fiducia rogo, oro, obsecro: ne prætereas hanc animulam, quā ipse finxisti: dignerisq; oculos misericordiæ tuæ in me miserum peccatorem deflectere, quibus latronem in cruce respexisti. Et me, non secus atque illum, lenitatis tuæ sinu colligas: vt ex hac suspiriorum ac lacrymarum valle, ad illam desideratissimam sanctorum ciuium patriam lætus te duce perueniam. Amen.

Dicit matri suæ. Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Ioan. 19.

III. DOmine IESV Christe, qui matrem de cruce appellans discipulo: discipulum matri cōmendasti:

ne quid affectus humani relinqueres in terris, quemadmodum distributis vestibus rerum nihil reliquisti. Presta quæso, fragilitati meæ præsidiũ: vt neglectis his, quæ sunt carnis & sanguinis, æternæ salutis negotium agere: & in his quæ cœlestis Patris sunt, esse gaudeam, cui & corpus & animam debeo: & à cuius benignitate hæreditatem vitæ immortalis expecto. Amen.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matt. 27.

IIII.

DOmine IESV, Christe, qui omni mortalium solatio destitutus, supplicationes apud Deum Patrem, cum clamore valido & lacrymis obtulisti: & exauditus es pro tui reuerentia: Da mihi, vt ad te pientissimũ Pastorem animarum nostrarum, in omnibus semper aduersis plena fiducia cõfugiam: nec tu sinas me derelictum vlla tentatione superari, aut aduersitate frangi: sed opportunum auxilium inueniam, ne quando rapiat vt Leo animam meam lacerans, & non sit qui eripiat. Amen.

Heb. 5
1. Pet. 2
Psal. 7

Dicit: Sitio. Ioan. 19.

V.

DOmine IESV Christe, qui nostram salutem ardore adeò ineffabili, summa in cruce sitisti: Quæso te, vt carnalis æstum cõcupiscentiæ omnem penitus in me extinguas: proque inexplebili malè dulcium rerum auiditate, tui mihi vicissim sitim inseras: tu mihi dulcescas vnus: tu vnus sapias: vt tua suauitate gustata, protinus mihi amarescant carnis delitiæ, & venenatæ mundi lautitiæ: ac potius habeam tecum affligi hîc, quàm temporalis peccati habere iucũditatem. Amen.

Heb. 11.

Dixit: Consummatum est.

Ioan 10.

VI.

DOmine IESV Christe, qui pro redemptione generis humani, iuxta Patris voluntatem ritè peregisti purissimum illud sacrificium tuũ: quo Sacerdos & idem hostia, nos Patri Deo, tibique ipsi recõciliasti. Dignare pro immensa tua benignitate qua tam liberaliter totum te nostris vsibus impendisti: agere in me, & vt velim, & efficaciam pro bono animi proposito, vt omnia per te bene cępta, in tui nominis gloriam laudabi-

liter

liter consummem: cui vni debetur omnis gloria siue in cœlis, siue in terris. Amen.

Et clamans voce magna IESVS ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

VII.

DOmine IESV Christe, qui temetipsum pro nobis hostiam viuam & immaculatam Patri offerens, ingenti clamore pretiosam animam paternis manibus commendasti: Dignare precor, nūc & semper meum tibi commendatum habere spiritum: ne quid de eo hostis ille antiquus sibi vendicet: quem non caducis rebus, velut argento & auro, sed tuo tibi pretioso sanguine, quem toties prodigus effudisti, proprium asserere dignatus es. Amen.

1. Pet. 1.

Christus factus est pro nobis obediens vsq; ad mortem. &c. Phil. 2.

BEnignissime Domine IESV, Domine Iesu Christe, qui tanto impendio peccatorum nostrorū mala omnia cumulatissimè dissoluisti: precamur te per sanctissimam passionē & mortem tuam, & contra omnes

diabo-

diaboli insidias nos tuearis. Qui mortuus es, & resurrexisti: & viuis cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, in omne æuum. Amen.

PRO PASSIONE D. N. IEsu Christi Gratiarum actio.

Cor. Cro.

GRatias tibi agant, Pater cœlestis, omnes populi, tribus & linguæ, pro inæstimabili charitate tua, qua sic dilexisti nos, vt filio tuo vnigenito, in quo tibi bene complacitũ est, nõ peperceris: sed pro nobis omnibus illum tradideris in mortem, vt viuamus per illum. Tibi omnis gloria, honor & imperium: in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 3.
Rom. 8.

ALIA GRATIARVM ACTIO.

Bernard in Medit. Paß. Dom.
Esa. 63.
Esa. 42
Matth. 12
Heb. 7.
Heb 12

REspice Domine, sancte Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo: & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus noster IESVS Christus, pro peccatis fratrum suorum: & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ.

Ecce

Ecce vox ſanguinis Domini noſtri IESV, clamat ad te de cruce. Quin ipſe gloria & honore coronatus, in dextera Maieſtatis tuæ aſſiſtit vultui tuo pro nobis. Reſpice Domine in faciem Chriſti tui: qui tibi vſque ad mortem obediens factus eſt. Nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum: vt memineris, quantã ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem receperis. Vtinam Domine appendas in ſtatera peccata quibus iram tuam meruimus, & calamitatẽ quam pro nobis paſſus eſt innocens filius tuus: certè grauior apparebit, & magis digna, vt propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiam tuam: quàm vt pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas. Gratias tibi Pater referat omnis lingua pro ſuperabundantia bonitatis tuæ: qua vnico filio cordis tui non pepercisti, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti in mortem: vt eum tanquam fidelem Aduocatum haberemus coram te in cœlis. Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 8. *Heb. 9.* *Pſal. 83* *Phil. 2* *Iob. 6* *Pſal 76* *Rom. 8.* *1 Ioan. 2* *Gal. 1.*

CHRISTO IESV SERVATOri nostro pro nobis crucifixo & mortuo: Gratiarum actio.

GRatias tibi ago Domine IESV Christe, Deus & Homo: quòd me miserum peccatorem & damnatum hominem, per Passionem tuam sanctam, sine meis meritis, gratuita Misericordia tua redimere dignatus es. O IESV dulcissime: quàm amara Passio, quàm atrox & dirum erat supplicium, quo tu contumeliosissimè fuisti affectus: quàm grauem torturam atque afflictionem sustinuisti: quàm truculenta vulnera: quàm ignominiosum mortis genus pro me tulisti. Quàm inæstimabilis Charitas est, quæ te permouit ad sufferendos pro nobis tot ac tantos cruciatus, vt nos Patri reconciliares: cũ in monte Oliueti, propter scelerum nostrorum multitudinem incurrentem in te, factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Deinde ab omnibus discipulis derelictum, in manus cruentissimorum Iudæorum temetipsum vltrò

Luc. 22.

trá-

tradidiſti: qui te captum & ligatum ſine vlla commiſeratione deduxerũt à conſpectu vnius iniuſti iudicis ad alterum crudeliorem: vbi tu falſis accuſatus teſtibus, calumniosè iudicatus eſt, ac porrò ignominiosè cõſputus: turpiter quoque illuſus, & contumeliosè colaphis percuſſus. Propter iniquitates noſtras vulneratus es, & propter ſcelera noſtra attritus: propter ſcelus populi tui ſuſtinuiſti plagas, cæſus ac ſpinarum aculeis coronatus ac dehoneſtatus: vermis factus & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Adhæc milites velabant tibi oculos, & cædebant faciem tuam: exagitantes & exaſperantes tuos cruciatos multis ſarcaſmis. Corpus tuum ſanctiſſimũ ita erat flagris proſciſſum & diſſectum, vt homo Ethnicus cõmoueretur & diceret, ECCE HOMO. Tuo autem Domine liuore ſanati ſumus. Denique inter duos latrones ſuſpenſus, tanquam maledictus à Deo: affectus es crudeliſſimo pariter & ignominioſiſſimo mortis genere, in patibulo crucis, per manus

Eſa. 53.

Pſal. 21.

Ioan. 19

Eſa. 53

& pedes confixus: & præ ingenti dolorum magnitudine arefactus, in siti vehementissima, potatus es aceto & felle. Et sic in summis cruciatibus efflasti animam tuam: commendans eam Patri charissimo, in summa tolerantia. O IESV Christe, Fili Dei: pro his tormẽtis tuis, sit tibi honor, laus & gratiarum actio in perpetuum: & te humiliter oro, vt Passio tua in me non sit inanis & vacua, sed præsentissima medicina in omnibus necessitatibus meis: vt de ea perpetuò glorier: meque consoler contra omnes tentationes diaboli. Sit mihi Crux tua in exemplum patientiæ; vt vestigijs tuis insistens: non referam maledicta maledictis: sed imitando tolerantiam tuam precer pro deuouentibus me. Insuper ita mediter Mortis tuæ causam, vt flammæ illiciti amoris in me extinguantur: & omnes illecebræ carnis consopiantur. Contra verò exsuscitentur semina pietatis & omnium virtutum amor alatur in me: vt totus peccatis mortuus, iustitiæ viuam: & tibi seruiam, qui mortuus es, & viuis & regnas

Gal. 6

1. Pet. 2

Matth. 5

1. Pet. 2

nas cum Deo Patre, in vnitate Spiritus sancti in omnia sæcula. Amen.

PSALMVS XXI.

Est prophetia de Christi Paßione, Morte, Resurrectione, & regno post mortem: & manifestè describuntur Christi in cruce voces, vulnera, ludibria Iudæorum, vestiumq; distributio.

DEVS Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo, per diem & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: laus Israel.

In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt & liberasti eos.

Ad te clamauerunt & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me deriserũt me: locuti sunt labijs, & mouerũt caput.

Sperauit in Domino, eripiat eum: saluum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus sum ex vtero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.

Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: sicut Leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens: in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.

Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas & pedes

meos. dinumerauerunt omnia ossa mea.

Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserũt sibi vestimẽta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionẽ meam conspicè.

Erue à framea Deus animã meam: & de manu canis vnicam meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me: & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirent eum: viuent corda eorum

in ſæculum ſæculi.

Reminiſcentur & cõuertentur ad Dominum: vniuerſi fines terræ.

Et adorabunt in conſpectu eius: vniueſæ familiæ gentium.

Quoniam Domini eſt regnum: & ipſe dominabitur gentium.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cœli iuſtitiam eius, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Legantur etiam Pſalmi XXX. LXVIII. LXX. *Et Eſaiæ Cap.* L. *&* LII. *Item Hierem. Cap.* XI.

HYMNVS DE PASSIONE Chriſti.

REX Chriſte factor omnium,
Redemptor & fidelium,
Placare votis ſupplicum,
Te laudibus colentium.

Cuius benigna gratia,
Crucis per alma vulnera,
Virtute ſoluit ardua
Primi parentis vincula.
Qui es creator ſyderum,
Tegmen ſubiſti carneum,
Dignatus hanc viliſſimam
Pati doloris formulam,
Ligatus es vt ſolueres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.
Cruci redemptor figeris,
Terram ſed omnem concutis,
Tradis potentem ſpiritum,
Nigreſcit atque ſæculum.
Mox in paternæ gloriæ
Victor reſplendens culmine,
Cum Spiritus munimine,
Defende nos Rex optime. Amen.

ORATIO ECCLESIAE.

DA quęſumus omnipotēs Deus, vt qui in tot aduerſis ex noſtra infirmitate deficimus: intercedente Vnigeniti filij tui Paſſione reſpiremus, Per eundem Chriſtum Dominum N. Amen.

ALIA.

Respice quæsumus Domine, super hanc familiam tuam: pro qua Dominus noster IESVS Christus nõ dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentũ. Qui tecum viuit & regnat, &c.

ALIA CHRISTO.

DOmine IESV Christe Fili Dei, pone Passionem, Crucem & Mortem tuam, inter iudicium tuum, & animas nostras: nunc & in exitu earum. Qui viuis & regnas, &c.

D. BERNARDVS. *Quid tibi ô homo dirum vel durum esse poterit, cũ recordatus fueris, quia Christus in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum: infixus vsq; ad cubitos in limo profundi? Quid nõ suaue tibi, cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui: & memoraueris primùm quidem illarum infantilium necessitatum: deinde laborum*

Serm. de quadrup. debito. Phil. 2. Psal. 109. Heb. 1. Psal. 68.

quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in ieiunando: vigiliarum in orando: insidiarum in colloquendo: postremò conuitiorum, sputorum, colaphorum flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium: quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quã inuicta mansuetudo? Regem gloriæ pro despicatißimo Vernaculo, imò vermiculo crucifigi? Quis audiuit vnquam tale: aut quis vidit huic simile? Vix enim pro iusto quis moritur: ipsi pro iniustis & inimicis mortuus est: eligens exulare à cœlis, vt nos reportaret ad cœlos: amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis.

Rom. 5.

XVII.

PRECATIONES IN GLORIOSAM D. N. IESV *Christi Resurrectionem.*

I.
Aug. Med. ca. 37.
Rom. 4.
Apoc. 20

DOmine IESV, pie & bone: qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter iustificationem nostram: rogo te per gloriosam resurrectionem tuam, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum meorũ omnium: & da mihi partem in resurrectione prima, vt in resurrectione tua merear veraciter percipere portionẽ. Scis omnia, potes omnia. Qui viuis in sæcula. Amen.

II.
Corn. Croc.

DOmine IESV Christe, fons bonorũ omnium, generis instaurator humani: Sol æternus cuncta viuificans, alens, exhilarans: qui rediuiuꝰ ex mortuis, teterrima nocte, cuius ipsi fueramus autores, profligata: diem illum expectatissimum, quem vnum fecit Dominus, reuexisti mortalibus: sublataque mortis

Psal 117.
1 Pet. 1.

tyrannide, clarissimum triumphum coelis plaudentibus inuexisti: iuxta copiosam misericordiam tuam regenerans nos in spem viuam, in hæreditatem immortalem, & incontaminabilem, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis erga nos. Fac me à morte peccatorum excitatum in nouitate, vitæ ambulare: superna quærentem, vbi tu es, in dextera Dei sedens: superna curantem, non terrestria: vt in Resurrectione illa in nouissimo die, cùm manifestatus fueris vita nostra, & ego tecum manifester in gloria. Qui es, qui eras & qui venturus es: qui accepisti virtutem tuam magnam: & regnas cum Deo patre, in vnitate S. S. Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 6. *Coloss. 3.* *Apoc. 4.*

HALLELVIA.

PAscha nostrum immolatus est CHRISTVS. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis synceritatis & veritatis. *1. Cor. 5.*

PRO GLORIOSA D. N. IEsu Christi Resurrectione: Gratiarum actio.

Gratias agimus tibi clementissime Pater: quòd cùm inimici essemus adhuc tui, reconciliati tibi sumus per mortem vnigeniti Filij tui Domini nostri Iesu Christi: quòdque iustificati ex fide, pacem iam habemus ad Deum, per eundem Dominum nostrum Iesum Christum: per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Adesto nobis semper, ne frustra nobis Iesus Christus mortem oppetijsse videatur: sed perpetuò agamus diem hunc festum, non in fermento veteri malitiæ & nequitiæ; quibus olim diaboli serui asseuerамus: sed in azymis synceritatis & veritatis, id est, moribus inculpatis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Guil. Alost

Rom. 5.

1. Cor 5.

PSALMVS XV.

Christi est ad Patrem Oratio humi iati: & Gratiarum actio post Resur-

rectionē glorificari: per quem corpus humilitatis nostræ reformabitur, configuratum corpori claritatis suæ. Phil. 3.

CONserua me Domine, quoniam speraui in te: Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorū meorum non eges.

Sanctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Prouidebā Dominum, in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear.

Propter hoc lætatū est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animā meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.

HYMNVS DE RESVRRECTIONE Christi.

AD cœnam Agni prouidi,
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri
CHRISTO canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum,
In ara Crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando, viuimus DEO.

Protecti Paschæ vespere
A deuastante angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus Agnus est,
Synceritatis Azyma,

Caro eius oblata est.

O verè digna Hostia,
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captiuata
Redit ad vitæ præmia.

Consurgit Christus tumulo,
Victor redit de baratro,
Tyrannum tradens vinculo,
Et reserans Paradisum.

Quæsumus autor omnium,
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Gloria tibi Domine,
Qui surrexisti à mortuis,
Cum Patre & sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

ORATIO ECCLESIAE.

DEVS qui nos Resurrectionis dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius, vt per temporalia festa, quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum. Qui tecum viuit & regnat, &c.

II. DEus, qui per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reserasti: vota nostra quæ preueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere. Per eundem, &c.

APOSTROPHE IVCVNDA ad patres Veteris Testamenti, ad excitandum spiritus feruorem in contemplatione lætiss. Resurrectionis Christi.

Ex occasione dulcissimi Cantici, CVM REX GLORIAE: *quod est apud D. August. Serm. de tempore,* 137.

Ex vetusto codice. IN Resurrectione tua Christe cœlum & terra lætentur, HALLELVIA. Lætare nunc præcipuè tu pater noster ADAM, naturalis origo generis humani, cum nobili coniuge tua EVA, de latere tuo in Paradiso formata: quia aduenit Christus ex genere tuo de virgine natus: & in cruce immolatus, ad liberandum te cum omnibus concaptiuis tuis filijs, in Fide eius, & Spe gloriæ cœlestis defunctis. *Gen. 2.*

Gaude & tu Patriarcha ABRAHAM, multarum gentium pater, cũ *Gen. 17. Gen 22.*

SARA fideli coniuge tua, de sancta incarnatione Christi tibi promissa, & nunc completa: cuius diem diu desiderasti & expectasti: quia sicut firmiter credidisti, ita iam veraciter Christum mortis & inferni victorem, & cœlestis Regni donatorem, ex semine tuo natum, læta facie vidisti. Congratulare tu quoq; Pater Isaac, de clara visione Christi; in descensu eius ad inferos, de quo ante mortem tuam prophetasti: & in benedictione filij tui Iacob, mysticis verbis eundem Dominũ nostrũ super omnes Sanctos benedictũ pulchrè designasti & cõmendasti, dicẽs: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Dominus. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Propterea & ego hæc legens, gratias ago tibi Deo meo, cuius nomen benedictum in sæcula: vt hîc & in æternum merear à te cum electis omnibus benedici, & cælestibus bonis repleti. Lætare & tu Iacob luctator fortissime: qui olim inter benedictiones filiorum tuorum

Ioan. 8.

Gen. 27.

Gen. 23.

fiducialiter orans, dixisti: *Salutare tuum expectabo Domine.* O verè dulce verbum & salutare, in quo nomē IESV latenter est signatum: nomen super omne nomen. *Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*: quàm hoc dulcissimū nomen IESVS ab æterno & vsque in æternum benedictum. Ipse quidem IESVS Salutare Dei, promissus in lege, natus de Virgine, passus in Cruce, surrexit tertia die: impleuit omnia. Dic ergo nunc in lætitia cordis tui: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. O vos sancti Prophetæ, Reges & Iudices populi, Senes cum Iunioribus: ô spiritus & animæ iustorum, Sancti & humiles corde: gaudete & exultate in Domino IESV Christo Salutari nostro: laudate & superexaltate eum in sæcula: quoniā ipse venit visitare nos in pace, vt lætemur coram te corde perfecto. Obsecro te, nunc Domine IESV Christe, salus animæ meæ. Spes à iuuentute mea: vsque ad senectam & senium ne derelinquas me. Expugna impu-

Gen. 49. *Phil. 2.* *Act. 4.* *Gen. 32.* *Psal. 148.* *Dan. 1.* *Psal. 70.* *Psal. 54.* *Psal. 85.*

gnan-

gnantes me. Lætifica animam serui tui: quia ad te Domine animam meã leuaui. Memento verbi tui, quod locutus es: quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Fac ergo me, quæso, huius sanctæ Societatis & Mensæ cœlestis participem, in Resurrectione iustorum. Qui resurrexisti: & deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum. Vbi in dextera Dei sedens, viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto in omnem æternitatem. Amen.

Matth. 8.

Luc. 14.

Marc. 16.

PRECATIONES XVIII.

IN LAETAM IESV CHRISTI D.N. *Ascensionem.*

PRECATIO.

ORo te Domine Deus, vt sanes omnes languores meos: per eum qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores

August. Medit. c. 13. 14. quippe mei Domine magni sunt & multi, multi sunt & magni: habet enim multa in me princeps huius mundi, scio & fateor: sed rogo te libera me per sedentem ad dexteram tuam Redemptorem nostrum: in quo nihil sui mali potuit inuenire. Per ipsum me iustifica, qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: per ipsum caput nostrum, in quo nulla est macula, libera mēbrum eius licet exiguū & infirmū. Libera me quæso, à peccatis, vitijs, culpis & negligentijs meis. Reple me sanctis virtutibus tuis: & fac me sanctis pollere moribus. Fac me in sanctis operibus tuis, propter nomē sanctum tuum perseuerare vsque in finem, secundum tuam voluntatem. Amen.

Rom. 8. Ioan 14. Esa. 53.

ALIA AD CHRISTVM.

August. Medit. c 37 BEnignissime Domine IESV, qui ascendisti in cœlum cum triūpho gloriæ tuæ, & sedes ad dexteram Patris Rex potentissime: trahe me sursum ad te, vt curram post te in odorem vnguentorum tuorum:

curram & non deficiam, te trahente & ducente me currente. Trahe os sitientis te animæ in superna fluenta æternæ satietatis: imò trahe me ad te fontem viuum, vt inde pro captu meo bibam, vnde semper viuam, Deus meus, Vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons vitæ, da sitienti animæ meæ semper bibere ex te: vt secundum sanctam & veridicam Promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ viuæ. Fons vitæ, reple mentem meam sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar quæ vana sunt & terrena: vt te iugiter solum habeam in memoria mea, sicut scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum. Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem significabant aquæ illæ, quas sitientibus te daturum promiseras. Da quæso toto desiderio, & omni studio tédere, quò te ascendisse post Resurrectionem die quadragesimo credimus: vt in præsenti quidem miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione semper & auiditate: vt ibi

Cant. 1.

Ioan. 3.

Psal. 76.

ſit cor meum, vbi tu es Theſaurus meus deſiderabilis & incomparabilis, multumque amabilis. Qui viuis & regnas in dextera Dei ſedens, in omne æuum. Amen.

GRATIARVM ACTIO AD *Deum Patrem, pro omnibus ſuis, in nos, in Chriſto* IESV, *beneficijs.*

Aug. Medit. cap. 14.

GRatias agimus tibi clementiſſime & benigniſſime amator hominũ Deus: qui per IESVM Chriſtum filium tuum Dominum noſtrũ, cùm non eſſemus, potenter feciſti nos, & cùm perditi fuiſſemus, culpa noſtra, mirabiliter & misericorditer liberaſti atque recuperaſti nos. Gratias ago Pietati tuæ, ex totis pręcordijs meis: qui propter tuam inenarrabilem Dilectionem, qua nos miſeros & indignos mirabili Bonitate amare dignatus es, miſiſti eundem Vnigenitum tuum de ſinu tuo, ſaluare nos peccatores tunc & filios perditionis. Gratias ago tibi pro ſancta Incarnatione & Natiuitate eius: & pro glorioſa Genitrice ſua, de qua

ipſe carnem aſſumere dignatus eſt, propter nos & propter noſtrã ſalutem: vt ſicut verus Deus ex Deo, ita verus homo ex homine eſſet. Gratias ago tibi pro Paſſione & Cruce eius: pro Morte & Reſurrectione eius: pro Aſcenſione eius in cœlum, & ſede Maieſtatis eius ad dexteram tuam. Ipſe enim quadrageſimo die poſt Reſurrectionem ſuam, aſcendens videntibus diſcipulis ſuper omnes cœlos, ſedenſq; ad dextram tuam, Spiritum ſanctum, ſecundum promiſſionem ſuam, in filios adoptionis effudit. Gratias tibi ago pro Sacratiſſima illa effuſione pretioſi ſanguinis eius: quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur & potamur: abluimur & ſanctificamur: & vnius ſummæ Diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac mira & inenarrabili Charitate: qua nos indignos ſic amaſti & ſaluaſti, per vnicum & dilectum filium tuum. Sic enim dilexiſti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hæc eſt au-

Ioan. 3.

tem

tem Vita æterna: vt cognoſcamus te verumDeum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Qui tecum viuit & regnat in communione Spiritus ſancti in omne æuum. Amen.

D. BERNARDVS CHRISTO.

Super Cantic. Ser 45.

QVàm pulcher es Angelis tuis Domine IESV in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Patris: & quidem perpetuus candor vitæ æternæ. Quàm mihi decorus es Domine mi, in ipſa tui huius poſitione decoris. Etenim vbi te exinaniuiſti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuiſti: ibi pietas magis emicuit: ibi charitas plus effulſit: ibi amplius gratia radiauit. Quàm clara mihi oriris ſtella ex Iacob: quàm lucidus flos de radice Ieſſe egrederis: quàm iucundum lumen in tenebris viſitaſti me Oriens ex alto. Quàm ſpectabilis & ſtupendus, etiam Virtutibus ſupernis: in Conceptu de Spiritu: in Ortu de virgine: in vitæ

Pſal. 109
Heb. 1.
Phil. 2.

Num 24.
Eſa. 11.
Pſal. 111
Luc. 1.

Innocen-

Innocentia: in Doctrinæ fluentis: in coruſcationibus Miraculorum: in reuelationibus Sacramentorum. Quàm denique rutilans poſt occaſum Sol iuſtitiæ de corde terræ reſurgis: quàm formoſus demum in ſtola tua Rex gloriæ, in alta cœlorum te recipis. Tu Teſtis fidelis, Primogenitus mortuorum, & Princeps regum terræ. Tibi gloria & imperiũ, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Apoc. 1.

PSALMVS XLVI.

Eſt adhortatio ad canẽdum laudes Chriſto Victori ad cœlos aſcendenti: & Gratulatio ob diuinæ gloriæ, per vniuerſum mundum, illuſtrationem: principumq́; ac populorum ad Deum conuerſionem.

OMnes gentes plaudite manibus, iubilate DEO in voce exultationis.

Quoniam DOMINUS excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram.

Subiecit populos nobis: & gentes ſub pedibus noſtris.

Elegit nobis hæreditatem ſuam:

ſpeciem Iacob quem dilexit.

Aſcendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ.

Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus Pſallite ſapienter.

Regnauit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

HYMNVS DE ASCENſione Christi.

IESV noſtra Redemptio,
Amor & deſiderium:
Deus Creator omnium,
Homo in fine temporum.

Quæ te vicit Clementia,
Vt ferres noſtra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres.

Inferni clauſtra penetrans,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris reſidens,

Ipſa te cogat pietas

Vt mala noſtra ſuperes
Parcendo, & votis compotes
Nos tuo vultu ſaties.
Tu eſto noſtrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula.
Gloria tibi Domine,
Qui ſcandis ſuper ſydera,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

ORATIO ECCLESIAE.

I. Concede quæſumus Omnipotẽs Deus: vt qui vnigenitum tuum redemptorẽ noſtrũ ad cœlos aſcendiſſe credimus: ipſi quoque mente in cœleſtibus habitemus. Per eundem D.N. Amen.

II. Adeſto Domine ſupplicationib⁹ noſtris: vt ſicut humani generis ſaluatorem D. N. Ieſum Chriſtum, conſedere tecum in tua Maieſtate confidimus, ita vſq; ad conſummationem ſæculi manere nobiſcum, quemadmodum pollicitus eſt, ſentiamus. Qui tecum viuit & regnat in vnitate S. ſancti Deus. Per &c.

PRE-

XIX.

PRECATIONES AD SPIRITVM SANCTVM.

In die Pentecostes, in corda discipulorum missum.

ECCLESIA, CHRISTO.

O Rex gloriæ, Domine virtutũ: qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. HALLELVIA.

D. AVGVST. AD SPIRITVM sanctum, Precatio.

Med. ca. 9.

IAM diuini amor numinis, Patris omnipotentis, prolisq; beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium Consolator clementissime: iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quæq; laris neglecti latibula, corusci luminis fulgore pius habitator lætifica: tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia squalore visitando

fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo: & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique feruoris igne illustrando intima mentis & corporis vniuersa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ: vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Veni iam benignissime dolentis animæ Consolator: protegens in opportunitatibus, in tribulatione adiutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, releuator labentium: veni humilium Doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarũ dulcis iudex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni nauigantiũ sydus, naufragij portus. Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus. Veni sanctissime Spiritus, veni & miserere mei: apta me tibi, & condescende

Psal. 42.
Psalm 142.
Psal. 9.

propitius mihi: vt mea tuę magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas secundum multitudinē tuarum complaceat miserationum, Per IESVM Christum Saluatorem meum: qui cum Patre in tua vnitate viuit & regnat in sęcula sæculorum. Amen.

ALIA AD SPIRITVM SANCTVM.

ADorando Spiritus, qui Triadē illam omnipotentem absoluis è Patre Filioq; procedens, vtriq; per omnia æqualis, sola personę proprietate differens: qui tua bonitate cōdonas peccata resipiscentibus: qui tuo sancto afflatu purificas hominū mentes, consolaris afflictas, mœrentes casta lætitia exhilaras, nubilas tua luce serenas, errantes dirigis in omnem veritatem, frigentes accendis igne charitatis, pacis glutino cōcilias dissidētes: varijs donis instruis āc ditas eos, qui per te nomen profitentur Domini IESV. Cuius actu viuūt omnia, quę verè viuunt: cuius delitię sunt versari in simpliciū pectoribus,

ribus, quæ tibi pro templis ipse consecrare dignatus est. Tuere quæso in me tuæ benignitatis munera, & indies auge quod largiri dignatus es: vt te gubernatore magis ac magis in me moriantur carnis affectus, glis-cat vitæ cœlestis desiderium: te prælucente sic transeam per caliginosum huius mundi desertum, vt nec Satanæ vitijs inquiner, nec vllis erroribus inuoluar, qui dissonant ab inuiolabili veritate, quàm tui numinis instinctu nobis tradidit Ecclesia Catholica: qui cum Patre & Filio viuis & regnas in æternum. Amen.

IN SPIRITVS SANCTI *missionem, Canticum Ecclesiæ.*

SAncti Spiritus adsit nobis gratia,
Quæ corda nostra sibi faciat habitaculum.
Expulsis inde cunctis vitijs spiritalibus.
Spiritus alme illustrator hominum,
Horridas nostræ mentis purga tenebras.

Autor Robertus Francorum Rex cœpit regnare anno 997.

Amator sancte sensatorum semper cogitatuum,
Infunde vnctionem tuam clemens nostris sensibus.
Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,
Purifica nostri oculum interioris hominis.
Vt videri supremus genitor possit à nobis.
Matth.5 Mundi cordis quem soli cernere pos sunt oculi.
2.Pet.1 Prophetis tu inspirasti, vt præconia Christi præcinuissent inclyta.
Luc.24. Act.1. Apostolos confortasti, vti trophæũ Christi per totum mundum veherent.
Gen. 1. Quando machinam per verbum suum fecit Deus cœli, terræ, marium:
Tu super aquas foturus eas numen tuum expandisti spiritus.
Tu animabus vificandis aquas fœcundas.
Tu aspirando das spiritales esse homines.
Tu diuisum per linguas mundum, & ritus adunasti Domine.

Idolatras ad cultũ Dei reuocas magistrorum optime.

Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius sancte Spiritus.

Sine quo preces omnes cassæ credũtur & indignæ Dei auribus.

APPENDIX DE FESTO Pentecostes miraculo linguarum ornato.

TV qui omnium sæculorum sanctos tui nummis docuisti instinctu amplectendo Spiritus.

Ipse hodie Apostolos Christi donans munere insolito, & cunctis inaudito sæculis, Hũc diem gloriosum fecisti.

Act. 2.

ALIVD ECCLESIAE CANticum & Oratio ad spiritum sanctum.

VEni sancte Spiritus, Et emitte cœlitus, lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine nihil eſt in lumine, nihil ex innoxium.

Laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, ſana quod eſt saucium.

Flecte quod eſt rigidum, foue quod eſt frigidum, rege quod eſt deuium.

Intelligit ſeptem dona S. S. de quibus. Eſa c. 11.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus ſacrum ſeptenarium.

Da virtutis meritũ, da ſalutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

HYMNVS DE SPIRITV ſancto, continens ardentem ad ipſum precem.

VEni creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita:
Imple ſuperna gratia
Quæ tu creaſti pectora.

Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons viuus, Ignis, Charitas,
Et ſpiritalis vnctio.

Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promiſſum Patris
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te vtriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus Patri, cum Filio,
Sancto simul Paracleto:
Nobisque mittat Filius
Charisma sancti Spiritus, Amen.

ORATIO ECCLESIAE.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem S. sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XX.

PRECATIONES LITVRGICAE: EX LITVRgia D. Iacobi Apostoli, & Ioannis Chrysost. ad vsum eorum, qui diuino Missæ officio intersunt, concinnata.

POST INGRESSVM TEMpli, Precatio.

DOminator Domine Deus noster, qui Ordines & exercitus Angelorum & Archangelorum, in cœlis constituisti, in tuæ gloriæ administrationem: fac cum ingressu nostro sanctorum Angelorum accessum fieri, qui nobiscum ministrãdo tuam benignitatem glorificent: quoniam te decet omnis gloria & honor, & magnificentia, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Amen.

Domine Deus noster, cuius potẽtia incõparabilis, & gloria incomprehẽsibilis: cuius misericordia immensa, & clementia ineffabilis: ipse Domine per tuam pietatem respice super nos, & super sanctam domum

istam:

istam: & fac nobiscum, & cum cooperantibus nobis, diuites misericordias & miserationes tuas. Opitulare, salua, miserere, & conserua nos in gratia tua. Amen.

Deus, qui duobus aut tribus in nomine tuo congregatis, dare quæ postulant, polliceris: ipse nūc seruorū tuorum petitiones, ad id quod conferat, imple: largiendo nobis in præsenti sæculo veritatis agnitionem, & in futuro vitam æternam. Amen. *Matt. 18.*

Ad initium Missæ, Precatio.

DOmine Deus noster, saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: plenitudinem Ecclesiæ tuæ conserua: sanctifica illos, qui diligunt decorem domus tuæ: & da eis gloriam diuina potentia tua, & non derelinquas nos sperātes in te. Amen. *Psal. 25.*

Benefice Rex sæculorum, vniuersæque creaturæ opifex: recipe ad te accedentem Ecclesiā tuam per Christum tuū: & singulis quod vtile est, perfice: omnes ad perfectionem adduc, & nos gratia tuæ sanctificationis dignos redde: nos in sanctam tuā

Ecclesiam congregans, quam tibi asseruisti pretioso sanguine vnigeniti Filij tui, Domini & Seruatoris nostri IESV Christi: cum quo benedictus es & laudatus, vnà cū sanctissimo & bono & viuifico Spiritu tuo, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

AD SVPPLICATIONEM, KYRIEELEISON.

DOmine Deus omnipotens, Deus patrum nostrorum: rogamus te, audi nos & miserere nostri.

KYRIEELEISON. Pro sancta domo ista, & pro ijs, qui cum fidei reuerentia & timore Dei ingrediūtur in eam, te Dominum rogamus.

KYRIE ELEISON. Vt eruamur ab omni tribulatione, ira, & necessitate, te Domine deprecamur.

KYRIE ELEISON. Miserere nostri Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Te rogamus exaudi nos.

Domine Deus noster, continuam

hanc supplicationem suscipe à seruis tuis: & secundum multitudinem miserationum tuarum, miserere nobis: & miserationes tuas mitte super nos, & super omnem populum tuum, qui expectat tuam diuitem misericordiam. Amen.

AD PRECES, QVAS COLLEctas vocamus, Precatio.

SAncte Deus, sancte fortis, sancte immortalis, miserere nostri.

Clemens & misericors, longanimis & multæ misericordiæ, Domine verax: respice ex prompto habitaculo tuo, & exaudi nos supplicibus verbis te orantes, ac libera nos ab omni tentatione diaboli & hominum: & ne tuum auxilium à nobis auertas, nosq; ne grauius corripias, quàm vires nostræ ferant: nõ enim superandis aduersis nos sufficimus: sed tu Domine potens es seruare nos, & eripere ab omnibus calamitatibus & aduersitatibus. Libera nos Deus pro tua bonitate, ab angustijs & molestijs huius mundi.

Domine Deus, effunde super nos

viſcera miſericordiæ tuæ : vt dies omnes tranſigamus in perfectione, ſanctitate, pace, & ſine peccato: vt in Chriſtiana ſynceraq; fide, ad finem vſque ſine dolore, moleſtia ac infamia perſeueremus: & bonam defenſionem ante verendum & tremendũ tribunal Chriſti tui inueniamus. Per miſerationes eiuſdem vnigeniti Filij tui: cum quo benedictus es, vnà cum ſancto & benigno ac viuifico tuo ſpiritu, nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD IVBILATIONEM. ALLELVIA.

QVi reſurrexiſti à mortuis, tibi cõcinimus: ALLELVIA. Quoniam tu Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnem terram. Saluos nos fac fili Dei. Quia in manu tua ſunt omnes fines terræ, & altitudines montiũ tuæ ſũt. Saluos nos fac fili Dei. Quoniam tuum eſt mare, & tu feciſti illud: & aridam fundauerunt manus tuæ. Saluos nos fac fili Dei. Qui reſurrexiſti à mortuis, tibi concinimus: ALLELVIA.

AD LECTIONEM EPISTOLAE & Euangelij, Precatio.

DEus qui ſanctis ad diuinis ſalutaribuſq; oraculis tuis nos inſtituiſti : illumina noſtras animas, qui peccatores ſumus : vt quæ prædicta ſunt aſſequi poſſimus : nec auditores tantùm ſpiritualium canticorum, ſed & bonorum operum factores, fidem pręſtemus non ſimulatam, vitam inculpabilem, & conuerſationem irreprehēſam. In Chriſto IESV Domino noſtro : cum quo benedictus es in ſæcula ſæcul. Amen.

SYMBOLVM NICENVM.

CRedo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ: viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum IESVM Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula: Deum de DEO: Lumen de lumine: Deum verum de DEO vero: Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtrā ſalutē deſcendit de cęlis. Et incarnatus eſt de S. ſancto, ex

Maria virgine. ET HOMO FACTVS EST. Crucifixus etiã pro nobis, sub Pontio Pilato. Passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni nõ erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum viuificantem: Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Cõfiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto Resurrectionẽ mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Ad Symbolum Precatio.

VNigenite fili, & Verbum Dei, qui es immortalis, ac dignatus es propter nostram salutẽ ex sancta Deipara semper virgine Maria carnẽ induere: sine vlla conuersione homo factus es, crucique affixus Christe Deus, ac mortem conculcasti: vnus cùm sis sanctæ illius Trinitatis, cum

Patre, sanctoq; Spiritu conglorificatus, SERVA NOS. *Canticum hoc Iustinianus Imperat. Ecclesia ad psallendum tradidit, an. 534. Nic. li. 17. ca. 28.*

AD PRAEFATIONEM: ET hymnum trisagium.

VEre dignũ & iustum est, decens & debitum: vt te laudemus, te hymnis celebremus, te adoremus, tibi gratias agamus, omnis creaturæ visibilis & inuisibilis opifici, thesauro æternorum bonorum: fonti vitæ & immortalitatis, omnium Deo ac Domino: quem cœli & cœli cœlorum laudibus celebrãt, ac omnis virtus eorum: Sol & Luna vniuersusq; astrorum chorus: terra, mare, & omnia quæ in eis sunt: Hierusalem cœlestis congregatio, Ecclesia primogenitorum descriptorum in cœlis: Spiritus iustorum & prophetarum. animæ Martyrum & Apostolorum: Angeli, Archangeli, Troni, Dominationes, Principatus, Potestates, ac Virtutes tremẽdæ, Cherubim & Seraphim, incessabili voce hymnũ triumphalẽ tuæ magnificę glorię clara voce canentia, clamantia, & dicẽtia:

Esa. 6. Sanctus. Sanctus. Sanctus. Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, O Sanna in excel- *Matth. 21.* sis. Benedictus qui venit in nomine Domini, O Sanna in excelsis.

Cum his & nos beatorum virtutũ agminibus, clemens Dominator, clamamus & dicimus: Sanctus es & sanctissimus, Tu & vnigenitus Filius tuus cum sancto Spiritu: & magnificentissima gloria tua, quando sic mundum dilexisti, vt filium tuum v- *Ioan. 3.* nigenitum dares: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternã. Qui veniens completo omni pro nobis mysterio, tradebat seipsum pro mundi vita.

AD ACTIONEM SECRETAM: *Christo.*

MOrtem tuam Domine annũciamus, & resurrectionem tuam confitemur. Non secundũ peccata nostra nobiscum agas, neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis: sed secundum æquitatẽ tuam, & ineffabilem humanitatem tuam, prætergrediens atque delens chirographum illud, quod est cõtra

nos

nos famulos tuos, largire nobis cęlestia & æterna dona tua, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparasti Deus diligentibus te. Isa. 64. 1. Cor. 2.

Ad memoriam viuorum.

MEmento Domine sanctorum Patrum, fratrumq; qui in sancta Catholica, & Apost. Eccl. sunt: ac Episcoporum, qui per vniuersum orbem orthodoxa fide distribuunt verbum tuæ veritatis.

Memento Domine omnis ciuitatis ac regionis, eorũq; qui in orthodoxa fide in ijs habitant: vt in pace, securitateque degant.

Memento Domine nauigantium, iter facientium, peregrinantium Christianorum: in vinculis & custodijs detentorum, captiuorum, exulum, eorum, qui ad metalla & supplicia damnati sunt, & qui in dura seruitute agunt, patrum & fratrum nostrorum.

Memento Domine infirmorum & laborantium, & eorum, qui ab immundis spiritib⁹ infestantur: vt à te Deo celeriter ab ijs sanētur & seruē-

Memento Domine, omnis animę Christianæ afflictæ & vexatæ: implorantis misericordiam & auxiliũ à te Deo: conuersionis etiam errantium.

Memento Domine omnium, vt benignè illis facias: omnium miserere Domine: omnibus nobis reconciliare: redde multitudinẽ populi tui pacificam, dissipa scãdala, aboleto bella, siste hęreseon irruptiones: pacem tuam, tuamque charitatem largire nobis, Deus Seruator noster, qui es spes omnium finium terræ.

Memento Domine temperiei aeris, imbriũ lenium, mitis roris, vbertatis fructuum: & in totius anni circulum benignitatis tuæ. Oculi enim omnium in te sperant, & tu das illis escam in tẽpore opportuno: aperis tu manũ tuam, & imples omne animal benedictione.

Psal. 144.

Memento Domine eorũ qui fructificant, & præclara edunt facinora in Ecclesijs tuis sanctis: & eorũ, qui pauperes, viduas, orphanos, peregrinos & egenos in memoria habẽt: & eorum omnium, qui nobis manda-

runt, vt sui memores essemus in orationibus. Miserere nostri Domine secũdum multitudinem misericordiæ tuæ, & miserationum tuarum: vt inueniamus gratiam, cum omnibus Sanctis tuis, qui ab æterno tibi placuerunt per generationẽ ac generationem, maiorum nostrorum, Patrũ, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sanctorum, & omnis Spiritus iusti in fide Christi tui consummati.

AD ELEVATIONEM, *S. Thomas de Aquino vti solebat illis versiculis, ex dulcißimo Cantico SS. Ambrosij & Augustini.* Tu Rex gloriæ Christe. Tu patris sempiternus es filius. Tu ad liberãdum suscepturus hominẽ, &c. *vsq; ad Cantici finem. Sunt qui vsurpant illos versus ex hymno illo Paschali Ad cœnam agni, &c.* O verè digna hostia: per quam fracta sunt tartara, &c. *Ioan. Lud. Viues sic:* O mors Christi, pretium humani generis captiui: comprehende me Redẽptione tua: & Adoptione filiorum Dei.

Alij autẽ adhunc modũ: Sit tibi Do-

mine

mine Deus, gloria, laus, & honor, pro inæstimabili charitate tua: quod filio tuo vnigenito non peperceris, sed pro nobis omnibus tradideris in mortem, mortẽ autẽ crucis. Da vt nõ sit nobis mors eius inanis & vacua. Domine IESV, Christe Fili Dei: pone passionem & crucẽ tuã inter iudicium tuum, & animam meam. O Saluator & Redemptor meus: sit nomen tuum benedictum in sæc. Amẽ.

Similes pro suo quisq; affectu & deuotione Eiaculationes emittere potest: & Deo gratias agere.

Ad Memoriam defunctorum.

MEmento Domine Deus noster, spirituum & vniuersæ carnis, orthodoxorum, ac rectè de fide sentientium, ab Abel iusto vsq; ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viuentium in regno tuo, & delitijs paradisi, in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob: vnde exulat dolor, tristitia & gemitus: vbi præsidet lumẽ vultus tui, & perpetuò effulget: nostræ verò vitæ fines Christianos, acceptabiles, & peccatis puros in pace dirige, Domine, Domine, col-

ligens nos sub pedes electorum tuorum, quando voles, & vt voles, duntaxat sine infamia & offensionibus: per filium tuum vnigenitum Dominum, Deum ac Seruatorem nostrum IESVM Christum: ipse enim solus est, qui absque peccato apparuit super terram.

Ad Orationem Dominicam.

DIgnare Domine benigne, vt nos audacter & confidenter, inculpatè, puro corde, anima contrito, facie minimè confusa atque erubescente, labijs sanctificatis, audeamus inuocare te sanctum Deum patrem, qui in cœlis es, & dicere:

Pater noster, qui es in cœlis, &c. *Et ne nos inducas in tentationem.* Domine, Domine virtutum, qui nosti infirmitatem virium nostrarum: *Sed libera nos à malo*, & operibus eius, & ab omni insultu, & machinatione eius, propter nomen tuum sanctum, quod inuocatum est super humilitatem nostram. Amen.

AD PACEM.

AGne Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agne Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Ioan. 1. & 10.
Math. 18.
Luc. 7.
Math 9.

DOmine IESV Christe Fili Dei viuentis, Agne ac Pastor, qui tollis peccata mundi; qui debitum duobus debitoribus remisisti, & peccatrici mulieri remissionem peccatorum concessisti, qui sanitatem Paralytico cum remissione peccatorũ eius largitus es, remitte, condona, ignosce Deus peccata nostra, voluntaria: & non voluntaria: quæ opere admisimus, quæ verbo: quæ prudentes & imprudentes: quæ noctu, quæ interdiu: quæ animo & cogitatione: omnia nobis condona, vt bonus & benignus.

Deus vniuersorum & Domine, indignos nos, hac hora dignos redde, benignissime: vt puri & mundi ab omni dolo, & omni simulatione, in vnum coniungamur inter nos pacis ac charitatis vinculo, confirmati sanctificatione diuinæ tui cognitionis. Per vnigenitum filium tuum Dominum & Seruatorem nostrum Iesum

Christum: cum quo benedictus es, cum sancto, bono, & viuificatore Spiritu tuo, nunc & semper, & in sęcula sæculorum. Amen.

AD COMMVNIONEM.

DEus, & Pater Domini & Dei, ac Seruatoris nostri IESV Christi: magni nominis Dominus, natura beata, bonitas effusa, Deus omnium ac Dominus, qui es benedictus in sęcula: Sanctifica Domine animas nostras, corpora & spiritus: nostras quoque mentes tange, explora conscientias, omnemque malam cogitationem à nobis aufer: omnem impudicam ratiocinationem, omnẽ turpem cupiditatem, indecentem omnem cogitationem, omnem inuidiã ac superbiam & hypocrisin: omne mendacium, omnem dolum, omnem huius vitæ distractionem: omnem auaritiam, omnem vanam gloriam, desidiam omnem: omne vitium, omnem iram, omnem iracundiam, omnem iniuriarum recordationem, omnem plasphemiam, commotionem omnem carnis & spiritus, alienam à volũta-

te sanctitatis tuæ. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Benedictionem.

DEus magne & mirabilis: respice in famulos tuos, quoniam tibi ceruices inclinauimus: extende manum tuam fortem, & plenam benedictionibus, & benedic populo tuo: conserua hæreditatem tuam: vt semper & perpetuò glorificemus te solum viuentem & verum Deum nostrum, sanctam & consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

† Benedictio Domini super nos semper, nunc & in sæcula sæculorũ. Amen.

AD SACRIFICII ABSOLVtionem: *seu Missæ finem.*

ABsoluto omni diuino Sacrificio in templo tuo, nunc etiam te oramus Domine Deus noster: dignare nos perfecta benignitate: dirige viam nostram, confirma nos, & stabili in timore tuo: & nos dignare regno cœlesti, in Christo IESV Domino nostro: cũ quo benedictus es,

cum sancto, bono & viuifico Spiritu tuo: nunc & semper, & in sæcula. Amen.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI increpatio, ad eos qui in Ecclesia, dum res diuina peragitur, nugantur & rident.

Videtis quanta malitia orbem terrarum detinet? nunquid simpliciter dicebam, quòd multitudo simus fœni, mare incompositum? Iterum alios video stare & nugari, dum preces fiunt: & quidam ex illis, adhuc meliores scilicet, idem faciunt: non solùm dum preces fiunt: sed etiã dum Sacerdos benedicit. O audaciam! Quando erit salus: quomodo poterimus Deum placare? Nescis quod cum Angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis: & stas ridens? Et non esset mirum, si fulmen demitteretur, nõ solùm in illos, sed etiam in nos: digna enim fulmine sunt hæc. Adest Rex, inspectat exercitus: & tu illorũ in cõspectu stas ac rides, vel ridẽtem negligis? Verùm quandiu obiurgamus: quandiu reprehẽdimus? Nõne vt damnosos, vt fures vt corruptos & perniciosos tales,

Hom. 24. in Act. Apo.

& innumeris malis plenos, ab Ecclesia *exigi oportebat? Quando hi, qui horrenda hora rident, abstinebunt à risu? quando abstinebunt à nugis, qui in tēpore benedictionis garriunt? Non reuerentur præsentes, nec Deum timēt. Non sufficit nobis, quod ipsa mente sumus ignaui, neq; quòd orantes aliò euagamur: Sed etiam risum & cachinnos multos afferimus. Nunquid theatrica sunt hæc, quæ hic geruntur?* Ea *propter cōmendo vos Deo: vnde iam & testificor vobis qui sani estis, quòd iudicium vobis erit ac condemnatio, si quis videns inordinatè viuentem, maximè in illo tempore, nō admonuerit nec corripuerit. Hoc plus est, quàm orasse.* Di*mitte preces, & illum corripe: ita & illi proderis, & tu lucrum habebis: ita etiam omnes seruari poterimus, & regnum cœlorum assequi.*

XXI.

PRAEPARATIO AD S. COMMVNIONEM; *Et modus confitendi.*

AD COMMVNICATVROS *seria D. Pauli Admonitio.*

Qui-

Qvicunq; mãducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat: & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit: non diiudicans corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles: & dormiunt multi.

Ex Epist. 1. Cor. c. 11

ALIA: EX D. IOAN. CHRYSOST. Orat. de S. Philogon.

Adhortor vos omnes: ne negligẽter, veluti festo die cogente, ad diuina Mysteria accedatis: sed si quãdo parabitis sacræ hostiæ fieri participes, multis antè dieb⁹ repurgetis vos ipsos per POENITENTIAM, PRECATIONEM, ET ELEEMOSYNAM Deniq; per hoc, vt vacetis spiritualibus: ne denuo conuertamini, canis in morem, ad proprium vomitum. An non enim absurdum: tantam habere curam rerum corporalium, vt appetente festo, multis ante diebus, vestem è scriniijs depromptam diligenter appares. emas calceamenta, mensa largior splendidiorq; paretur: deniq; va-

Prou 26
2. Pet. 2

riam vndiquaq; rerum copiam excogites, omnibusq; modis temetipsum ornes, nitidumq; reddas: anima vero neglecta, sordentis, squalidæ, fame cõtabescentis, nullum habere respectum, cum sola maneat impura: ac corpus quidẽ nitidum huc adducere, animã vero nudam incultamq;: Atqui corpus quidem videt cõseruus: neq; quidquã est detrimenti, quomodocunq; fuerit habitum: illam autem videt Dominus: qui grauißime punit negligentiam. Absterge igitur ab omni sorde animã tuam.

QVOMODO COMMVNIcaturus, ad digne sumendum S. Eucharistiæ Sacramentũ, semet probare ac parare debet.

Ioan. Ferus in cap. 2 Ioan. 1 Cor. 1.

APostolus Paulus dicit: Probet seipsum homo. Hæc probatio nonnihil exigit à nobis, & ante, & post susceptionem: atque etiam in ipsa susceptione.

I. Ante susceptionem optima Præparatio est POENITENTIA: vt scilicet propter peccata nostra pœniteamus, humiliemur, doleamus, confiteamur: & ab eisdẽ resipiscamus & auer-

auertamur: cumq; filio prodigo surgamus, & redeamus ad Patrẽ: & cum Publicano pectus tundamus: cũ Peccatrice ploremus: cum Latrone oremus pro misericordia. Deinde abiectis peccatis, iustitiæ operibus nos ornemus. Hæc Preparatio necessaria est ante sumptionem Sacramenti. Ratio est: quia Cibus hic solis amicis paratus est. Lege Euangelium, & videbis nullum hostẽ admissum: vnus quidem se intruserat, sed magno suo malo. Is est Iudas: quem tamen tum nemo adhuc hostem esse sciebat, nisi solus Christus. Quandiu autẽ incredulus es, & in obediẽs: & Præceptis Dei data opera, sciens ac volens reluctaris, amando quæ ille odit, hostis Dei es. Altissimus enim odio habet peccatores.

Luc. 15. *Luc. 18.* *Luc 7.* *1. Luc. 23.* *Exod. 2.*

Accessurus ergo, vide in primis, vt amicus ex inimico per veram Pęnitentiam efficiaris. Ad amicos enim & filios pertinet hæreditas: non ad alienos. Cũm magnus quispiam & diues Testamentum facit, adscribit nominatim hæredes. Et qui in eo Testamento scripti non sunt, nihil ac-

cipiunt:nec quidquam illis prodesset,etiamsi vel vi, vel dolo codicillum Testamenti ad se perducerent: quoniam quidem aperto Testamento, non inueniuntur ibidem nominati.Sic Christus promisit Gratiam, & omnia bona sua,pœnitentibus & credentibus.Pœnitemini,inquit, & credite Euangelio: appropinquauit enim Regnum cœlorum. Et hanc ipsam Promissionem Morte firmauit: hocq; sacramento, ceu sigillo, muniuit.

Marc. 1.

Iam si vel Iudæus vel Turca sigillùm hoc raperet,nihil tamen acciperet:quia non est nominatus in eo Testamento:imò propter incredulitatem & impietatem manifestè exclusus.Idem sentiendum de impœnitẽtibus.Cura igitur primùm, vt fias amicus. Amicus autem Dei non poteris fieri, nisi per Christum. Hunc si amicum habes, & Deum habes amicũ. Christi autem amicus efficeris,credendo & pœnitendo de priori vita. *Reuertere* inquit *& suscipiam te.* In hunc modum Christi gratiã & amicitiam meruerunt Paccatrix il-

Hier. 3.

la, Zachęus, Matthęus, & Petrus post negationem, Paulus & alij.

Huc pertinet, quod in Lege agnus iubetur edi, cum lactucis agrestibus: item, quòd comedentes agnum iubebantur renes præcingere, & calceati esse. Item, quòd in hac ipsa Cęna, Christus discipulis pedes lauit. Lauit autem nos Christus Sanguine suo, hoc est, meruit remissionē peccatorum: sed ea nobis non aliter impartitur, quàm per fidem: idque in baptismo primùm, post in Pœnitentia. Studeamus itaq; Deum priùs Orationibus, Lacrymis, Eleemosynis reconciliare, quàm de mensa eius participemus. Si hominem offenderis, non audes ad mensam eius accedere, nisi reconciliatus: & homini quod præstes, Deo non facias? Conuertamur igitur ad Dominum mente tota: & Pœnitentiam, criminum confessione, & veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam cō precemur. Pœnitēti, credēti, operāti & rogāti Deus clemēter ignoscit. *Si conuersus*, inquit, *fuerit: omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Exod. 12

Ioan. 13.

Ezech. 18.

II. In susceptione autem Sacramenti, omniũ maximè requiritur vt Christi recordemur. Ad hoc enim potissimum instituit hoc Sacramentum. *Hoc*, ait, *facite in mei memoriam.* Et Paulus: *Mortem Domini annunciabitis.* Hinc est, quod etiam in lege præceptum, erat vt sanguinem agni linirent in postibus domus: nimirum: vt semper præ oculis eum haberent. Cùm ergo percipis Sacramentum, omnem intellectum tuum redige in obsequium Christi: omnesq; cogitatus tuos sursum tolle, ab omni terrenorum cura: perge ad locum Caluariæ: vide quæ & quanta ibi passus sit Christus. Cogita incomparabilẽ Dei erga nos dilectionem: vt qui etiam proprio filio suo in nostri gratiam nõ pepercit, sed in grauissimos cruciatus pro nobis dedit. Non quasi nos dilexerimus eũ: sed ipse prior dilexit nos. Cogita deinde Filij Dei Obedientiam: qua bibit hunc calicẽ, ad multorum exhaurienda peccata. Imò & ipsius summam Charitatem erga nos, quæ maior esse non potuit: quippe, qui animam suam pro nobis dedit.

Luc. 22. 1. *Cor.* 11. *Exod.* 12. *Rom.* 8. 1. *Ioan.* 4. *Heb.* 9. *Ioan.* 15.

dedit. Cogita, quantum pro nobis sustinuit dolorem;vt nos redimeret: quomodo factus sit vermis & non homo,opprobrium hominum & ab iectio plebis. Cogita sanguineum eius sudorẽ,flagellationem, & coronationem: quomodo ei nulla fuerit species aut decor. Cogita quomodo morti obnoxius fueras: & per Mortem Christi redemptus sis. Hìc mirare,hìc crede,hîc fide, hìc exulta in S. sancto,hic mentem in cęlum leua. Hic pronus procumbe, hìc clama: Domine, quid est homo, quòd memor es eius Hìc exerce tuam fidem, Spem & Charitatem. Noli dubitare de alijs Promissis Dei:quandoquidẽ in hoc tam arduo non fefellit.Spera ab ipso omnia Bona: cuius Bonitatẽ & Fidelitatem hic adeò expertus es: cuius tam certum pignus in hoc Sacramento habes. Ama eum, qui te tã ardenter amauit.

Psalm 21.

Esa. 53.

Psal. 8.

III.

Tandem etiam post sumptionem Sacramenti, Gratias Deo age: ideò enim EVCHARISTIA dicitur. Diues & magna Hæreditas, digna est Gratiarũ actione: maximè cùm nul-

Eccl.29. lo iure, sed mera gratia datur. Gratiam fideiussoris tui, ne obliuiscaris, ait Sapiens: dedit enim pro te animã suam. Agnosce & confitere cum magna gratiarum actione, quòd te Corpore & Sanguine suo, non au-
1. Pet.1. tem auro & argento Christus redemerit à diaboli seruitute & morte æterna. Huc pertinet, Christus post institutum Sacramentum hymnum
Matth. 26 dixisse legitur. Nec satis est, verbo & ore gratias agere: nisi & operibus & vita idem etiam faciamus. Sicut Apostolus Paulus dicit: Empti estis
1. Cor. 6. precio magno: glorificate Deum in corpore vestro.

Deinde etiam imitare Christum pro te passum: sequere vestigia eius.
1 Pet.2 Dic in afflictionibus, dic in ægritu-
Matt 6.26. dine tua: Domine, si pro me tãta pas-
Psal. 107. sus es: cur non ego quoque patiar, acerbiora commeritus? Fiat igitur voluntas tua. Paratum cor meũ Deus: paratum cor meum.

Omnium maximè autem sequi debet CHARITAS proximi: ob id namque Christus Sacramentum hoc in ijs rebus instituit, quæ ad vnum a-

liquid

liquid rediguntur ex multis. Ex multis enim granis vnus panis conficitur: & ex multis vuis vinum cōfluit. Ideoque Christus post institutionē Sacramenti, tam multa de Charitate præcepit: vti Ioannis cap. 13. & 15. videre est.

MODVS CONFITENDI; seu, Formula ad quam prius conscientiam quisq; suam examinare, ac dein humiliter & purè cōfiteri debet.

ADMONITIO.

PEr Legem cognitio peccati, ait: Apostolus Paulus. Est autem Lex, Voluntas illa Dei, ad quam Vita nostra est dirigenda. Et quidem DEVS, *in prima conditione, notitiam Voluntatis suæ cordibus hominum indidit: sed hāc Notitiam, quæ est naturæ Lex, vitio originis planè obscuratam esse, manifestum est: haud secus atque speculū, cœno conspersum: quod imaginem quidem reddit, sed obscuram. Quare Deus singulari prouidentia, eandē Naturæ legē, per Mosen, in mōte Sinai Decalago cōprehēsā promulgauit: vt cer-*

Ro. 3. & 7.

Exod. 20.

ta extaret Regula viuendi secūdū Dei voluntatē: ex qua perspicuè cognoscerēt homines, quid Deo placeret, quidue displiceret: quid facere, quidve omittere deberent: sicque ad hanc Regulam omnes cogitationes suas, studia & actiones dirigerent. Itaque, vt speculum repræsentat deformitatem intuentium: ita & lex peccati sordes ob oculos ponit: vt ex Decalogo potissimū, in quo est legis summa paucis verbis expressa absq; vlla difficultate, quilibet intelligere poßit (testimonium reddente Conscientia) quid rectè, quid perperam egerit. Quamobrem non poterit melius atque exactius, quàm ad Decalogi præcepta, Conscientiæ examen institui: nec aliūde certius fuerit iudicium. Quisquis igitur fueris Peccator pœnitens, cuiuscunq; ordinis seu status, summi vel infimi, in his decem Dei Præceptis cum primis meditare: in his te contemplare: & vbi maculas deformitatesq; tuas cōspexeris, vt deleantur, curam adhibe. Expende cuncta: & delicta, quorum animus se tuus conscium agnoscit, cum firmo emēdatioris vitæ proposito, in amaritudine

Rom 2.

& sim-

& ſimplicitate cordis tui humiliter & purè Sacerdoti, tanquam Medico ſpirituali, pande: ab eo conſilium & Abſolutionem expectans.

Examen ergo ante confeßionem, hoc modo inſtitues.

AD I. PRAECEPT.

Examen Conſcientiæ.

COgitabis: An Deũ, quem iam cognouiſti, non, vt oportuit, glorificaueris: aut gratias egeris. *Rom.* 1.

Nempe, quòd creauit te. *Deut.* 33. atque etiamnum gubernet & ſuſtẽtet. *Act.* 17. quòd etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: cum quo etiam omnia nobis donauit. *Rom.* 8.

An de aliquo Fidei articulo dubitaueris: &, an hæreticis, de Deo ac Religione Chriſtiana, ſecus quàm oportet, docentibus, ſciens adhæſeris: teque ab Eccleſia Catholica, quæ eſt columna & firmamẽtum Veritatis, ſeiunxeris. 1. *Tim.* 3.

An Deum, cum fiducia & ex toto corde tuo, & in omnibus vijs tuis inuocare: vt ipſe dirigeret greſſus tuos, neglexeris. *Prou.* 3.

An de Dei Prouidentia hæsitaueris. *Iob.*22.*Matt.*6.

An desperaueris. *Gen.*4.

An in spem peccaueris: &, an tardaueris cõuerti ad Dominum, & distuleris de die in diem. *Eccl.*5.

An non dilexeris Dominum Deũ tuum, nec seruieris ei in toto corde tuo, & in tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. *Deut.*6.10.*Matt.*22.

An in multitudine diuitiarum gloriatus fueris. *Psal.* 48.

An in Sapiẽtia & Fortitudine. *Hie.* 9

An in teipso, siue propria iustitia confisus, alios præ te aspernatus fueris. *Luc.*8.

An Dei donis ad detrimẽtũ & perniciẽ proximi abusus fueris: quibus ad Dei gloriam, proximiq; cõmodũ & salutem vti oportuit. 1.*Cor.*12.

An auaritiam, quæ est Idolorum seruitus, sectatus fueris. *Eph.*5.

An venter tibi Deus fuerit. *Phil.*3.

An crassam illam & externam Idololatriam commiseris. *Exod.*20.

An maleficus aut incãtator fueris: & pythones cõsulueris, aut diuinos: aut quæsieris à mortuis veritatem.

Deut 18. 1.*Reg.*28.

An declinaueris ad Magos:& an ab Ariolis aliquid ſciſcitatus fueris — *Leu.19.20*

An in periculis, trepidatione & angore, quæſieris illicita & incōceſſa præſidia: cùm Deus ſit Refugium noſtrum & Virtus, adiutor in tribulationibus. *Pſal.*89.93.

An in Infirmitate tua, non quæſieris Dominum: ſed magis in Medicorum arte confiſus ſis. 2. *Par.*16.

An Deũ, in ærumnis tuis, atque etiã publicis calamitatibus, vel frigidè, vel prorſus non inuocaueris. *Pſal.*49

An aliàs quoq; Orationi nequaquã inſtiteris: nec vigilaueris in ea cum gratiarum actione. *Rom.*12. *Coloſ.*4.

Examen ad 2. Præceptum.

COgitabis: An in Deũ blaſphem⁹ fueris, hoc eſt, Deum ex ira aut ſuperbia execratus fueris, irriſeris aut cõtẽpſeris. *Le.*24.1. *Re.*17.4. *Re.*18. *& 19.1. Machab 7. 2. Mach.* 15.

An falsò iuraueris: aut aliàs etiam fidem datam in promiſſis, prçſertim adhibito Dei nomine, fefelleris: niſuſq; fueris ſub hoc S. Nomine proximũ tuũ decipere. Nam iurãs inuocat Deum teſtem, quòd nõ velit fallere. *Leu.*19. *Pſ.*23. *Zach.*5. *&* 8. *Mat.*5

Iuſiuran-

Iusiurandum legitimum excusatur: nam omnis Controuersiæ hominum finis ad confirmationem, est Iuramentum. *Heb.6.*

An Nomen Dei, nulla existente legitima causa: & in rebus leuiculis seu inanibus, ad sermonem tuũ confirmandum, vsurpaueris: maximè studio fallendi: Nam Christus dicit: Sit sermo vester EST, EST: NON NON. *Matt. 5.*

An, vel tibi, vel alijs: odio, inuidia, vindictæ cupiditate: aut impatiẽtia: seu etiã quadam vanitate: malè precatus fueris. Adhibita quoq; subinde Passione, Cruce, Vulneribus, Sanguine & Morte Christi: aut Sanctorum nominibus. *Eccl. 29.*

An Dei Nomine, vel S. Scriptura: seu Hymnis sacris abusus sis ad derisionem, & ad Cantica sæcularia, aliosve sermones prophanos. *Eph. 5.*

An in conuiuijs temerè S. Scripturam tractaueris. Temerè dico: nam scriptum est: Viri iusti sint tibi conuiuæ, &c. & omnis narratio tua in præceptis Altissimi. *Eccl.9.*

Examen ad 3. Præcept.

COgitabis: An dieb. Dominicis, alijsve Festis ab Ecclesia institutis, piè & Christianè feriari contempseris. *Vide de Conf. Dist. 3. Pronunciandum.*

An familiam festis diebus ad mūdanas occupationes exercueris: & irrequietum habueris iumētum ad ea negotia conficienda, quæ citra necessitatem præueniri poterant, vel differri. *Leuit.* 23. 2. *Esd.* 13.

An vllum opus sacrum, ad quod obligaris; ijs diebus omiseris: quale est, fidelium cœtui adiungi: hymnis & precationibus, sacræ Doctrinæ, sacrificijs, alijsq; exercitijs pietatis vacare: ægrotos, seu alijs ærumnis cōflictantes, visitare & consolari.

An die Dominico, sedulò, & in amaritudine animæ tuæ, ea quæ alijs diebus, in negotiorum sæcularium strepitu, siue per incuriam, seu aliàs, contra Dei præcepta commiseris, recogitare neglexeris. *Esa.* 38.

Luc. 6. *Actor.* 20. 1. *Cor.* 6.

An constitutis temporibus, Sacramenta ritè præparatus participare, aut neglexeris, aut contempseris.

Actor. 20. 1 *Cor.* 11.

An in templo ſpatiari, nugari,& aliorum modeſtiæ & ſilentio obſtrepere malueris quàm orare: &, an vagos laſciuiẽteſq; oculos in virgines ac mulierculas agitaueris.

An Sabbato Domini, tabernas meritorias, vinarias aut ceruiſiarias, frequentiùs colueris: & ipſum malis operibus, vtpote, luxu, ebrietate, choreis, alijſq; ludis: item contentionibus, rixis, detractionibus, aut alijs inanibus verbis dehoneſtaueris. *Eſa.56.58.*

Examen ad 4. Praeceptum.

COgitabis: An ſummo Parenti, patri Spirituũ, in omnibus obtemperare: eumq; honore debito proſequi, neglexeris: cuius bonitatẽ, indulgentiam, & viſcera Charitatis, nulla mens cogitare, nedum lingua explicare valet. *Mala.1. Heb.11.*

Quomodo in Parentes carnales peccamus.

An Parẽtes carnales, qui te genuerũt, in opere & ſermone, & omni patientia honorare: eiſq; mutuam vicem reddere, minimè curaueris. *Eccl 3. Eph.5. 1. Tim.5.*

An impietatem pro pietate retuleris: eos non modò non honorando, quin potius offendendo: nimirum,

inopes,

inopes, senio graues, viribusq; desti tutos fastidiendo, non fouendo, non succurrendo. *Prou.28. Matth. 15.*

An asperis verbis, & factis ingratis, eos afflixeris. *Gen.28.*

An eos cõtumelijs affeceris. *Ezec.22*

An eos percusseris. *Exod.21.*

An eis maledixeris. *Exo.21. Leu.20* *Prou.20.*

An proteruus fueris & contumax: & monita Parentum contemnens, comessationibus, luxuriæ, atq; cõuiuijs vacaueris. *Deut.21.1. Reg.2.*

An amaueris Patrem & Matrem plusquàm Christum. *Matt.10.*

Quomodo in superiores Eccl. delinquimus.

An superbieris, nolens obedire Sacerdotis imperio. *Deut.17. Matt.23.*

An eos, qui laborant, & præsunt tibi in Domino: & monent, abundantius habere in charitate contempseris. *1. Thess.5.*

An obedire eis, atq; subiacere nolueris. *Heb.13.* *Matt.10 Luc.10. Gal.6. 1.Tim 5.*

An de facultatibus tuis eis subsidia, & debita stipendia negaueris.

Quomodo in Magistratũ ciuilem peccamus. Rom.13.

An Magistratui, qui à Deo est, restiteris: &, An Tributa & vectigalia, ad conseruationẽ Gubernationis, & publicæ Pacis, pendere detrectaueris.

Quomodo in præceptores.

An discipulus Præceptori obtemperare recusaueris: &, An Præceptore factus fortè vel melior vel doctior, suis tamen functum partibus, contempseris.

Quomodo in seniores. *Eccl. 8.*

An seniores spreueris: & corā cano capite non surrexeris. *Leu.* 19.

An narrationem Presbyterorum seu seniorum sapientiū despexeris.

Quomodo in dominos.

An seruus obedire dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis tui, minimè studueris. *Eph.* 6

Eph. 6. Col. 3

An ad oculum seruieris.

An contradixeris: an fraudaueris: nec in omnibus fidem bonam ostenderis. *Tit.* 2.

Quomodo Parentes delinquunt in filios. *Deut. 6. 11. Eccle 30. Eph. 6. Coloß. 3.*

An Parens ad iracundiam prouocaueris filios tuos: nec educaueris illos in disciplina, & correptione Domini.

An non mandaueris filijs, vt facerent iustitias & eleemosynas: & essent memores Dei, & benedicerēt eū in omni tempore, in veritate & in tota virtute sua. *Tob.* 14.

Quomodo Prælati Eccl. peccāt in gregem.

An perperceis virgæ. *Pro.* 13. *Eccl.* 7.

An filiam prostitueris. *Leuit.* 19.

An alijs Præpositus, circuire vrbes & erudire populum destiteris.

.Reg.7.
2.Par.17.

An tibi & Gregi (in quo te S. S. posuit, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo) attendere: eūque pascere, & forma gregis fieri ex animo: haud curaueris. *Act.*20.1.*Pet.*5

An paueris teipsum: lac & lanam quæsieris, gregem autem Domini neglexeris: neq; paueris scientia & doctrina. *Hier.*3. *Ezech.*34.

Quomodo Magistratus politicus peccat.

An in sublimitate constitutus, cū esses minister regni Dei, non rectè iudicaueris, nec custodieris legem iustitiæ: neque secundum voluntatē Dei iudicaueris. *Sap.*6.1.*Tim.*2.

An eleuatū fuerit cor tuum in superbiam: & declinauerit in partem dexteram vel sinistram. *Deut.* 17.

An maleficos passus sis viuere. *Ex.*20

An oppresseris subiectos tibi: nempe, iniustis & immoderatis expilationibus. *Amos* 4.*Mich.*3. *Eccl.*4.

An Iudices & Magistratus constituere, qui iudicent populum iusto iudicio, minimè curaueris.

An Magistratus fungens officio, feceris quod iniquum est, & iniustè

*Deut.*16
*2.Par.*19

iudi-

iudicaueris. *Leu.*19. *Dan.* 13.

An tibi aliqua fuerit distantia personarum: nec ita paruum audieris vt magnum: sed acceperis cuiusquã personam. *Deut.*1.

An sententiam Iudex, non audita alteraparte, pręcipitaueris. 2 *Re.*16.19

An declinaueris post auaritiam, acceperisq; munera: & peruerteris iudicium. *Exod.*23. *Deut.* 16. 1. *Reg.*8.

An in iudicio plurimorum acquieueris sententiæ, vt à vero deuiares.

Exod. 23

Quomodo præceptor peccat.

An Præceptor discipulos timorem Domini docere neglexeris. Quia initium sapientiæ Timor Domini.

*Psal.*33. *Eccl.*1.

Quomodo dominus paccat in seruum.

An dominus lęserit seruum tuum in veritate operantem. *Eccl.*7.

An aliter quàm fratrẽ eum tractaueris. *Eccl.*33.

An iniusta & iniqua ei præstiteris.

Eph. 6. *Coloss.*3.

Examen ad 5. Præceptum.

COgitabis, An per industriã occideris proximũ tuũ, & per insidias: nimirum; odij priuati seu vindictæ cupiditate. *Gen.*4. *Exo.*21.2. *Re.* 11.12. & 2. *Reg.*3. 20. Aut ex auaritia.

3. Reg 21

An Magistratu fungens, insontem & iustũ interfeceris. *Exo.* 23. *Dan.*13.

An

An corruptè iudicaueris: legibusque ad priuatum odium, commodũue abusus fueris. *Deut.*16. *Aba.*1.

An in legitimis iudicijs, & secundũ leges iudicans, studio tamen vindictæ, & occasione auaritiæ, seu alio quopiam affectu prauo, sententiam tuleris. *Psal.*100.

An aliàs etiam homicidium commiseris: Si non gladio, iaculo, aut veneno, aut alia materia, instrumentove: certè occidendi vel lædendi voluntate: nempe, aut pœnę metu prohibitus, aut facultate destitutus.

Gen. 27. 1. *Reg.* 18. *Ioan.* 8 *Actor* 7

An oderis fratrem tuum: quod est homicidium. 1. *Ioan.* 3.

An iratus fueris fratri tuo, ira virulenta; vt cuperes eius interitũ. *Mat.* 5

An animo tuo, ira, odio, inuidia occupato, eruperis in vocem indignationis, (Christus appellat RACHA) quã animum tuum commotũ & frementem prodideris. *Matt.* 5.

An verbum maledicum, seu conuitium, cui coniunctum fuerit nocendi studium, aduersus fratrem tuum protuleris (id Christus vocabulo FATVE designauit. *Math.* 5. 2. *Reg.* 16.

An Crapula & Ebrietate vitam tibi abruperis: hoc est, breuiorem feceris. *Eccl.37.*

Eccl. 34. 1. Ioan. 4. — An proximo tuo pauperi in necessitate non subueneris.

Basil. Mag. — An bellum illegitimum suaseris, vel promoueris.

Examen ad 6. Præceptum.

COgitabis: An adulterium externum commiseris: nempe, vel ipse coniugatus, vel cū alterius cōiuge: vel vtroq; modo. 2. *Reg.* 11.

An stuprum vel virgini, vel viduæ honestè viuenti, intuleris: maximè puellæ alij desponsæ. *Deut.* 22.

An virginem rapueris. *Gen.* 34.

Gen. 19. 35. 38. Leuit. 18. 2. Reg. 13. 16. — An incestum commiseris: vtpote, cum sanguine iuncta.

Gen. 19. Rom. 1. 1. Corinth. 6. 1. Tim. 1. — An peccato contra naturam nefandissimo te fœdaueris.

An aliquo modo, te, extra naturalem fœminæ vsum, pollueris.

Tob. 4. 1. Cor. 6. — *Modum ego peccandi in hoc quidem peccati genere, non puto addendum: ne innocentes Confessariorum animi offendantur. Plus satis est peccasse & peccatum duplicare est, innocentibus peccandi modum ostendere.*

An simpliciter fornicatus fueris. *Galat.* 5. *Eph.* 5. 1. *Thess.* 4.

An

An adulterio fornicationi, aut etiam Cogitationibus immundis, & delectationi carnis, causam seu occasionē dederis: modis qui sequūtur

1. Aspectu impudico & lasciuo.
2. Osculis & tactu. *Prou.* 7.
3. Verbis obscœnis: & Imaginibus impudicis. *Eph.* 4.5. *Ezech.* 23.
4. Choreis & Saltationibus impudicis & salacibus. *Matt.* 14. *Mar.* 6.
5. Cantu & ornatu meretricio.
6. Crapula, Ebrietate & Ocio.

An legitima vxore intemperanter vsus fueris. *Tob.* 3.6. *Ezech.* 18.

Examen ad 7. Præceptum.

COgitabis: an clàm vel palàm aliena surripueris: aut aliquid iniustè vsurpaueris.

An prædatus fueris: & vi sub belli specie homines spoliaueris.

An Raptores, Prædones, Fures, aut foueris, aut consilio vel auxilio iuueris. *Psal:* 49. *Tob.* 2. *Esa.* 1. *Rom.* 1.

An auarè sectatus fueris lucra.

An in negotio fratrem tuum circumueneris: & quod tibi noluisses fieri, alteri feceris. *Tob.* 4. *Matth.* 7. 1. *Thessalon.* 4.

Gen. 39. *2. Reg.* 11. *Thren.* 3. *Dan.* 13. *Iob.* 31.

Prou. 5.7 *1 Tim* 2. *1. Pet.* 3 *Exod.* 32 *Hier.* 5 *Ezech.* 16 *Eccl* 33 *Eph* 5.

Esa 33 *Ezecch.* 18

Ezech. 22

An mercenarium debita mercede fraudaueris, *Le.19. Deu.24. To.4. Ia.5*

An debita non persolueris. *Rom.13*

An mutuum seu cõmodatũ, aut depositum acceperis, ac retinueris eo animo, vt si potuisses, nunquam reddidisses: aut etiam nõ reddideris: aut reddendo, (quod sæpe fit) conuicia & maledicta, pro beneficio retuleris

Ezech.18. Eccl.29.

An pignus, seu aliàs rem ablatã nõ restitueris, cùm reddere potueris.

Ezech. 18. 33. Tob. 2. Luc.19.

An vsuram & superabundantiam acceperis. *Ezech.* 18.

An in laborando, pacta mercede, fidelem operam non præstiteris.

An monetam publicam circumcideris: aut arte deteriorem feceris.

An moneta pluris tibi valuerit in exponendo: & minoris in recipiendo.

An merces tuas pluris quàm par erat, vendideris: vel fuco copiã fraudum feceris ementi. *Amos.8.*

An vinum vel cereuisiam, seu rem quampiam aliam vitiaueris. *Esa.1.*

An imposturam feceris in contractibus: in pondere & mensura, in literis & sigillis. *Leu.19. Deut.25. Pro.20.*

Mich 6. 1.Thess. 4.

An

An bona quę suscepisti distribuenda, infideliter distribueris, *Rom.* 12.

An quod fortè inuenisti, domino, (si quidem sciuisti) non restitueris: nec dominum scrutatus fueris. *Deut.* 22. *Tob.* 2.

An necessitatem patienti debita subsidia subtraxeris. *Tob.* 4. *2 Cor.* 8. *Eph* 4. *Iac.* 3. *1. Ioan.* 3.

An absconderis frumenta tua: nec æquo precio volueris vẽdere *Pro.* 11.

An animam esuriẽtem despexeris: & exasperaueris pauperẽ in inopia sua, *Eccl.* 4.

An immodicè tua profuderis in luxum: aut alias res inhonestas, aut non necessarias. *Luc.* 16.

An labe Simoniaca te commaculaueris. *Act.* 8.

Examen ad 8. Præceptum.

COgitabis: An falsum testimonium in iudicio locutus fueris aduersus proximum tuum. *Deut.* 19. *Dan* 13. *Matt.* 26. *Act.* 6. 7.

An calumniã feceris proximo: hoc est, eius dicta vel facta deprauaueris, & maliotisè inuerteris: seu etiã falsa in eum commentus fueris. *Leu.* 9. *Luc.* 11. *Mar.* 14. *Ioan,* 2.

An perfidus fueris in fœderibus & contractibus. *Hier.* 5. 9.

An alicui obtrectaueris: vt fama & opinio eius macularetur & læderetur: fortassis nunquã recuperãda.

Deut.27. Psal.11. Prou.24.

An detrahentibus libenter aurem accommodaueris. *Prou.24.*

An susurro fueris: & inter fratres seminaueris discordiã. *Leu.*19. *Pro.6.*

Eccl.7 Matt.11.

An ioco mentitus sis: vel ad irritãdos simpliciores: vel mouendos risus: vel studio placendi & assentãdi.

An malignè & in dolo, aut in alterius mentitus sis perniciem. *Psal.5. Prou.*12. *Sap.*1. *Hier.*9. 2. *Reg.*3. *Mat.*26.

An verbum Dei (eius ministerio tibi credito) adulteraueris: aut aliter, quam ex synceritate, sicut ex Deo, & coram Deo: nimirum, in sermone adulationis, aut occasione auaritiæ, locutus fueris. *Esa.*8. *Hier.*20. 23. 28. *Ezech.*13. 2. *Cor.*2. 1. *Thess.*2.

An neglexeris custodire vias tuas: vt nõ delinqueres in lingua tua. *Ps.*38

An declinaueris cor tuũ in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. *Psal.*140.

Examen ad 9. Præceptum.

Aug. Ser. Domini in monte, Lib. 1

COgitabis: An adulterium internum commiseris: videlicet, vi-

dendo

dendo mulierem ad concupiscendũ eam: hoc est, eo fine & animo attenderis, vt eam concupisceres: quod iam non est titillare delectatione carnis, sed planè consentire libidini: ita vt non frenetur illicitus appetitus: sed si facultas data fuerit exaturetur. *Dan.*13. *Matt.*5.

An mortẽ mariti alicuius exoptaueris: aut, quod grauius est, procuraueris: quippe, vt defuncti vxorem acciperes.

Cogitabis in genere: an oculos salaces in mulieres cupidius ieceris: &, vt in Propheta dicitur, nutibus oculorũ ieris. *Es.*3. *Mat.*15. 1. *Pe.*2

An sensus tuos externos, per quos virus illud Concupiscentiæ intimis visceribus adhærescens, excitatur: vt sunt, Auditus, Tactus, & omnium velocissimus Visus: negligenter custodieris. *Gen.*31. *Psal.*118. *Iob.*31. 1 *hr.*3

Examen ad 10. *Præceptum.*

COgitabis: An vitioso habendi affectu, & conatu detrahendi aliquid proximo, tuum commodum augere desideraueris.

An proximi tui facultates, non solũ rationibus manifestè iniquis, verùm etiam astu contectis, ad te pertrahere adnisus sis: desiderando nimirum, eum in tantam necessitatem deuenire, quæ eum cogat res suas diuendere: & an hoc quoque procuraueris, tuũ ei auxilium subtrahendo.

Matt. 5.
1. Ioan. 3.

An quouis ingenio ac colore, proximi bonis insidiatus fueris, etiamsi id feceris rationibus & modis in iure permissis: modò id eo animo feceris, vt tibi magis quàm proximo prospectum volueris. *Esa. 5.*

An, vt famulũ, famulamve à Domino suo abduceres ad te, instigaueris eos in Dominũ, ac immorigeros reddideris, vt nihil rectè agerẽt aut ampliorem mercedem proposueris, si discederent.

An in permutatione, seu etiam vẽditione vel pecoris vel alterius rei: ad fuerit dolus: & quæsieris priuatã vtilitatem, cum iniuria proximi & damno.

IN SVMMA.

Cogitabis: An quod nolueras ab alio tibi fieri: aliquãdo alteri feceris.

Tob. 4.

Et, An quæcunq; voluisses vt facerent tibi homines: ita & tu facere illis neglexeris. Hæc est enim Lex & Prophetæ. *Matt.* 7.22.

PRAECEPTA ECCLESIAE.

NEc sunt prætermittenda S. Matris Ecclesiæ Præcepta. iuxta illud: Conserua fili mi pręcepta patris tui: & ne dimittas legem matris tuę. *Prou.* 6. Cogitabis ergo:

1. An statutos ab Ecclesia Festos dies non celebraueris: vt in Decalogi Præcept. 3. annotatum est. *Concil. Lugdu.*
2. An in solennibus sacris ad Ecclesiam non conueneris: Scripturas Apostolorum & Euangelium non audieris: nec perseueraueris in oratione, vsque dum Missa perageretur. *Can. Ap.* 10.
3. An indicta certis diebus ieiunia non obseruaueris. *Can Ap* 68.
4. An peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum eius licentia, vt minimum singulis annis confiteri neglexeris. *Conc Gang Conc. gen Lateran.*
5. An S. Eucharistiam, vt minimum semel in anno, præsertim Paschæ Festo, non sumpseris. *Ibidem.*

Ex Arn. Vesal.

EXAMEN CONSCIENTIAE ad septem peccata Capitalia seu Mortalia.

Superbia. COgitabis: An contempseris & deriseris Superiorem, ęqualē, subiectum: ac teipsum extuleris & cōmendaueris. *Matt.* 20. *Luc.* 18

Gula. An comessationibus assiduis, & ebrietatibus te ingurgitaueris. *Esa.* 5. *Luc.* 21. *Rom* 13.

Auaritia. An spem in pecunia, & terrenis rebus posueris: *Ps.* 61. 1. *Tim.* 6.

Ira. An ex Ira, iniuriam animo conceptam, amarulentis verbis, quandoq; etiam verberibus vindicaueris. *Vide* 5. *Praeceptum.*

Inuidia. An ex Inuidia, fortunam & successus proximi, iniquo animo tuleris: famam nunc clancularijs oblocutionibus, nūc apertis cōuitijs & probris laceraueris. *Vide* 8. *Praeceptum.*

Luxuria. An ex luxuria, in libidinis & fornicationis opus exarseris. *Vide* 6. *Praeceptum.*

Acedia. An ex Acedia, ab aliquo opere bono te retraxeris. *Eccl.* 9.

EXAMEN CONSCIENTIAE *ad opera Misericordiæ: eorumq; omißionem.*

Ex eodem.

COgitabis: An egenos cibo potuq; nō refeceris. *Esa.* 38. Saltē pio affectu. *Tob.* 4. vel calicem aquæ frigidæ ministrādo. *Matt.* 10. 2. *Cor.* 8.

An Infirmos, humano, solatio destitutos, nō visitaueris. *Eccl.* 7. *Mat.* 25

An Captiuos in carcerem & vincula iniustè detrusos nō redemeris, aut consolatus fueris. *Matt.* 25.

An Aduenas & Peregrinos aliena ope indigentes, hospitio non receperis. *Esa.* 58. *Matt.* 25.

An nudos non vestieris. *Esa.* 58. *Matt.* 25.

An errantes in fide non admonueris: non correxeris.

An iniuriam ex animo non remiseris. *Matt.* 18.

An inimicorum perditionem & mortem expetieris.

An Consilio tuo, quādo opus erat, vel publicè vel priuatim, nō profueris. Et, An aliud quandoq; consilium ore protuleris, aliud mente complexus fueris.

Admonitiuncula.

Ex Petro Canis.

SVnt etiam diligenter expendenda peccata ALIENA, quę ab alijs quidem committuntur, sed nobis autoribus, aut saltem non impedientibus: nimirum nostro Consilio, iussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniuentia vel indulgentia, rei alienæ participatione, & praui facti alieni defensione. Quocirca nobis etiam imputantur.

Ess Man. Car.

Quin & CIRCVNSTANTIAE peccatorum sunt considerandæ: quæ hoc versu continentur:

Quis Quid, Vbi, per Quos, Quoties, Cur Quomodo, Quando.

Quædam enim circunstantię respiciũt personam ipsius peccatoris: aut personam illius, cui facta est iniquitas: id signat *Quis*. Quædam respiciũt substantiam facti: hoc notat *Quid*. Quædam respiciunt locum: quod innuit *Vbi*. Quædam causam iniuriatem: ideo dicitur in versu, *per Quos*. Alię respiciunt ad frequẽtiam actus: quam significat, *Quoties*. Porrò ad causam finalem respicit, *Cur*: & ad

Modum agendi, *Quomodo*, *Quando* autem ad Tempus respicit. Vide libellum Guidonis de Monte: cui titulus est *Manipulus Curatorum*.

PRO ECCLESIASTICIS & sacris initiatis.

Ecclesiastici & sacris initiati, Vitæ innocentia & Morum integritate præcellere, atq; Ordinem sacrum exemplo bonæ vitæ, & studio S. Scripturæ decorare debent. Id D. Paul. perspicuè docet in Epist. ad Tim. & Titum. Quapropter Regulas vitæ, *quas ijs præscripsit, hic apponere placuit: vt secundū eas ipsi quoque se examinent.*

Oportet Episcopum sine crimine, & irreprehensibilem esse, sicut Dei Dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, modestum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, pudicum, ornatum, doctorem, amplectētem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari doctrina sana: & eos qui contradicunt, arguere. Diaconos si-

1. Tim. 3. Tit 1.

militer pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: habētes mysterium fidei in cōſcientia pura: nullum crimen habentes.

Solicitè cura teipſum probabilē exhibere Deo: operarium inconfuſibilem, rectè tractatem verbum veritatis. Sectare iuſtitiam, fidem, ſpē, & charitatē, & pacē cum ijs, qui inuocant Dominū de corde puro. Prędica verbū, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vigila: in omnibus labora: opus fac Euangeliſtæ: miniſterium tuū imple: Sobrius eſto. *Vide 1. Pe. 5. & Diſt. 23. c. His igitur*

In his ergo Eccleſiaſtici ſeriò meditentur: atque conſcientias ſuas diligēter examinent.

NB. ANNO 1238. Parijs facta eſt ſolennis diſputatio: in qua determinatum penè ab omnibus fuit, neminem ſine periculo peccati mortalis, tenere poſſe duo beneficia: quorum alterum ſufficit ad ſuſtentationem. *Nauclerus.*

Cogitent de hac diſputatione, qui

non duo tātùm, sed plurima, eaq; satis opima habet beneficia.

O fœlix mortale genus: si semper haberet
Aeternum præ mente Deum, finemq; timeret.

QVID EXAMINE HABITO, faciendum Pœnitenti.

Nemo est, qui in spectis perspicuis illis S. Scripturæ sententiis, non statim deprehendat peccatum suum: nec quenquam tam stupidum arbitror, vt non intelligat, ea solùm in confessione dicenda, quæ ad ipsum peculiariter pertinent. Examine itaq; facto, primùm quidem coram Deo recogitabis peccata tua, in amaritudine animæ tuæ: & orabis Dominum, vt tibi peccata remittat: deinde ad Sacerdotem accedes, & aperto capite, ac flexis genibus, vsitatam in Ecclesia Catholica formulam, etiam tenellis pueris notā, vsurpare poteris: Confiteor Deo cœli &c. Aut hanc si placet. Esa. 38.

Ego miser & indignus Peccator, Confiteor Deo Patri omnipotenti: Filio eius vnigenito IESV Christo: & Lo. Leisentrit.

Spiritui sancto: Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitati: Vni & vero Deo: & tibi Patri meo spirituali: me grauiter peccasse ab infantia mea vsq; ad hanc horam, prauis & peruersis cogitationibus, verbis, factis: & omissione boni: siue id mortaliter siue venialiter, occultè vel manifestè, scienter vel ignoranter factum sit: quorũ omnium pœnitet me ex animo. *Hic humiliter enumerabis ordine peccata, quæ contra decem præcepta seu aliàs commissa, tibi in mentem venerint, & succurrerint.*

ALIA FORMVLA.

Idem.

EGo miser & infelix Peccator Confiteor Deo Patri omnipotẽti: IESV Christo Filio eius, Saluatori & Redẽptori meo: & tibi Patri spirituali: me nimis & grauiter peccasse ab infantia mea, vsque ad hanc horam, &c.

CONCLVSIO.

Arn Vesſ.

Ob hæc peccata, & quæcunque jam non occurrunt: & si occurrerẽt, libenter confiterer: quocunq; mo-

do à me patrata ſunt, ſiue ſolo, ſiue cum alijs: ſiue noctu, ſiue interdiu: ſiue ſacro, ſiue prophano loco: ſiue feſtis diebus, ſiue operoſis: ſiue cũ quibuslibet circunſtantijs, dico meam culpam. Et peto à te Patre meo ſpirituali, & Chriſti miniſtro, ſalutarem pœnitentiam. Ideò precor, &c.

PRECATIO ANTE *Confeſſ. dicenda.*

PEccaui ſuper numerum arenæ maris, Domine Deus meus. Confundor & erubeſco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper caput meum: & delicta mea creuerunt vſque ad cœlum. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Vereor omnia opera mea: ſciens quòd non parcis delinquenti. Da igitur potentiſſime Seruator dexteram miſero mihi: extrahe me ex vndis, quæ intrauerunt vſque ad animam meam: nec eſt ſubſtantia hærenti in limo profundi, niſi

Iodocus Vuinsh. Herbipo. *2. Par. 36.* *Pſal. 142.* *Iob. 9.* *Pſal. 68.*

tua me virtus eripiat: ereptũ attractum, te præuia luce, ducas, ne rursus in tenebris ambulans, impingam ad priorum viarum offendicula. Fac pijssime IESV, vt veteri homine corrupto, interior renouetur de die in diem: ne dies ille tuus, tanquam fur in nocte dormienti repentinus superueniat. Ecce: cui tu in terris ligandi atque soluendi munus tribuisti, fide interim corda purificans reuera pœnitentibus, me, intus tibi exhibitũ, in cute ostendam sacerdoti: hoc vnum obsecrans, vt Ecclesiæ tuę reconciliatus, peccato moriar: ne vllo vnquam tempore amplius seruiam peccato: teque indefessè, mundatus glorificem. Viuentem & regnantem in sæcula sæculorũ. Amen.

1. Cor. 4. 1 Thes 5 Matt. 6 & 18 Ioan. 20. Act. 5 Matt. 8. Luc. 7. Rom. 6.

POENITENTIARIVS SEV *Confessarius qualis esse debet.*

QVoniam omninò non peccare, diuinum, & vltra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem & pœnitentiã agentibus, veniam Deus dari præcepit: qui verò confiteri refugiunt, maius pecca-

Ex Hist. Eccl. Trip lib. 9. ca. 35

torum onus acquirunt: propterea visum est antiquis Pontificibus, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta padantur. Et ob rem [Presbyterum bonæ conuersationis, seruantemq; secretum, ac sapientem virum statuerunt] ad quem accedentes hi qui deliquerãt, delicta propria fatebantur. At ille secundum vniuscuiusq; culpam, indicebat & mulctam.

De Pœnitent. Distinct. 6. ca. Qui vult. & Sacerdos.

Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam: quærat Sacerdotẽ scientem ligare & soluere.

DE SECRETO SEV sigillo Confessionis.

De Pœnit. Distinct. 6. cap. Sacerdos.

SAcerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quòd ea confessus est: non propinquis, non extraneis: neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur: & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

DE ABSOLVTIONE.

Matth.16 DIxit IESVS Petro: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

Matth.18 Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.

Ioan,20. Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittẽtur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib 1 cap.18. Has claues dedit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, vt quæ ſolueret in terra, ſoluta eſſent in cœlo: quæ ligaret in terra, ligata eſſent in cœlo. Scilicet, vt quiſquis in Eccleſia eius, dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſeque ab his correctus conuerteret, in eiuſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus tandẽ fide atque correctione ſanaretur.

DE CONTRITIONE, ET ſcrupulis iterandæ Confeſſionis: Item de Satisfactione: pia Sanctiſſimi & Doct. viri Ioan. Lanſpergij Carthuſ. Sententia.

Ex Tractatu, cui Titulus: Ad animã peccatricem, ſed reuerti cupientem: interna Christi allocutio, ſeu inſpiratio.

CHRISTVS LOQVITVR.

EGo diligentes me diligo: & deliciæ meæ eſſe cum filijs hominũ. Sic dilexi mũdum, vt in mortem darem animam meam: ne pereat, ſed habeat vitam æternam, quicunque in me crediderit. Ego, ô Anima, pro te laboraui, eſuriui, ſitiui, cõtemptũ & perſecutionẽ paſſus ſum. Vulneratus ſum propter iniquitates tuas, attritus propter ſcelera tua: mortuꝰ propter delicta tua, reſurrexi propter iuſtificationẽ tuã. Ad hęc omnia me impulit Amor quo te diligo, & in filiam adoptionis adſciſco. Itaque tu reſipiſcens ad amantẽ reuertere: in vulnerum meorum ſanguine lauare: virtutibus & vitæ meæ meritis veſtire. Omnia hæc lubens tri-

Prou. 8
Ioan. 3.
Eſa 53
Rom. 4.

buo:

suo: imò, vt amantissimus pater hęc offerens, tibi occurro in amplexum: ad osculum te recipio, & ad redamā dū te inuito. Reuertere Filia, & mūdare. Præbe cor tuum mihi: quia prę ter hoc aliud abs te non desidero. Porrò, quomodo tota ad me reuertaris: quomodo in corde tuo mihi delitias prępares: quomodo amorē meum reficias: quo deniq; modo tu quoque reficiaris, aduerte.

De Contritione.

Ei, qui ad vitam correctiorem aspirat, qui mihi se totū nititur dedicare, necessarium est, vt vitæ malæ retroactæ primùm verè pœniteat. Sit itaque ad minus dolor in iudicio rationis, vt peccando se malè fecisse iudicet: optetque ex toto corde se nō fecisse, nolitq; deinceps peccare: nulla re magis carere velit, quā peccato: nihil minus optet, aut magis execretur, quàm peccatum. Doleat igitur, quia peccauit, quia me offendit: aut saltem doleat, quia non sentit se dolere. Sæpenumerò etenim fit, vt mihi magis placeat desiderium habendi, id est, velle esse cōtritum aut deuotum, quàm sentire contritionē

aut deuotionem: quia velle habere, facit affectionem cordi. Itaq; doleat & irascatur sibi, atque damnabilem se iudicet, quòd peccauerit: & quòd non dolet, quantum deberet. Hæc contritio, tametsi sensibilis non sit: id est, licet cor patiaris durum, aridũ & siccum: sufficit ad salutem. Ego enim vestram attendo miseriam, vestram imbecillitatẽ, vestram paupertatem: nec vllo modo bonæ voluntati desperandum est, quantamlibet cordis sentiat ariditatem seu frigiditatẽ, quando vellet se nõ peccasse, statuitq;, propter me, posthac nolle peccare. Sed dicis: ego innumerabilia peccata admisi: quomodo de singulis debeo singulatim conteri? Cõsolatione eges, ô Anima: at sola veritas cõsolatur. Si multa habes peccata, de multis ac omnibus simul generalem habeas cõtritionem: in qua omnia ac singula peccata velis includi, hoc est, vt nullum peccatũ, etiãsi singulatim occurreret, excipi velis, de quo non doleas: aut quod nolis nõ fecisse, & quod non velis cauere. Neque enim hoc exigo, vt de singu-

lis peccatis necessariò habeas singu
las contritiones, iuxta numerum aut
speciem peccatorũ. Ita enim Magda-
lenæ dixi: Dimisi ei peccata multa,
quoniam dilexit multùm. Non dixi:
Quoniam dilexit multoties. Nec ip-
sa Magdalena aliter, quàm simul de
omnibus dolere potuit, in tã subita
compũctione. Ita tu quoq; de omni-
bus doleas: vt nullum sit peccatum,
quod tibi placeat, siue in genere, siue
singulare memoriæ occurrat. Nõ er
go tristeris, si fortasse imaginatio-
nes patiaris ac phãtasias, quasi iratus
sim, adeò vt nolim placari, nolim in
dulgere, nolim te ad gratiã recipere
hæc susurra sunt diaboli, quibus ad
desperationẽ te nititur pertrahere,
mentiens, quòd nolim dimittere. Tu
autem, ô Anima, noli credere: quic-
quid sentias, non consentias despe-
rationi. Optes te non offendisse: sta-
tuas nolle peccare. Quod si iterũ de-
liqueris, iterum quoque surge: & de
nuo propositũ nõ delinquẽdi statue.
Si tertiò deliqueris, tertiò resurge.
Denique quartò, quintò: & si po-
stremò septuagies septies quotidie

Luc. 7.

ceciderıs,toties ad me reuertere : ego ſuſcipiam te. Nonne melius eſt, vt ſuſcipiam te,quàm amittam: ſimulque omnes labores meos & pœnas pro tui redemptione toleratas perdam?Nihil ergo,ô Anima, nihil, ô Filia,ſanguine meo redempta,te à me auocet:nihil detineat, nihil remoretur.Et ſi diabolo te tradideris, ſi me centies negaueris : dole quia feciſti,& ego dimitto tibi peccatũ. Non ſit in oculis tuis adeò magnum peccatum,quod ſpem veniæ adimat: non adeò multũ, quod meam miſericordiam poſſe ſuperare exiſtimes. Nihil refert apud me, à multis an à paucis peccatis redimam:& magnus & paruus peccator æquè egent miſericordia mea , quę inexhauribilis omnibus fluit & abundat.Nõ poteſt miſericordiam meã vincere malitia tua.Quantò plura tu habes peccata, tantò ego libẽtius ignoſco pęnitẽti. Inde enim elucet maior gloria mea: quantò maiori peccatori maiorem erogo miſericordiam. Non ſum durus, non ſum maleuolus, non ſum parcus:ſed totus in te,ô Filia, libe-

ralis,

ralis,profusus &prodiges.Nihil minus habeo,si omnia mundi peccata tu sola fecisses, & tibi omnia dimitterem.Est tamē fortasse aliud, quod te terret,quia peccata te premūt: & quæ olim vltrò admisseras,iam inuita cogeris tolerare. Persequitur te aduersarius, & suas fœditates tecū habet.Quicquid inuita sustines filia, non te damnabit: peccatum nanque adeò esse oportet voluntarium,vt,si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuā à consensu: & sine Carnem & Diabolum furere.

De Scrupulis iterandæ Confeßionis

Solet etiam Diabolus pœnitentibus seruis meis has insidias ponere, vt pleriq; efficiantur scrupulosi,iterum atque iterum eadem confitētes: nec ad trāquillitatem aliquā possint aliquando venire, dum circunstātiā semper aliquam, vel peccatum inueniunt neglectum,cuius in priori Cōfessione non fecerint mentionē: vnde ad confitendum denuò compelluntur.Hi semel vna generali Confessione facta,debēt hanc inquietudinem irrationalem omninò postha-

bere. Neque enim hoc desidero, neque placet mihi, vt tu verseris sẽper & inquieteris in reuoluendis peccatis tuis. Quin proijce te in me: & ego liberabo te. Nam si mille annis teipsam scrutari volueris & confiteri, haud quaquam mundaberis. Quãdo enim exhauries abyssum? Mihi ergo te committe, postquam semel omni diligentia conatum expenderis tuũ, ad confitenda peccata tua. Dimitte mihi: vt habeã quo tibi propitier. Cognosce, quod te ipsam mundare nequeas. Dic, quòd egeas misericordia mea. Confitere, quòd vnum pro mille mihi non sufficis respondere: sed in omni opere insufficiens es, & eges misericordia mea. Non ergo fidas in Confessionibus tuis, sed in miserationibus meis: hæ enim sunt, quibus iustificari te oportet. Scito igitur hoc mihi præcipuè placere, vt de me sentias in bonitate: & in simplicitate cordis me quæras. Sentias me benignum, pium, compassiuum, misericordem, optimum. Confide mihi: spera in me. Non potes me nimis piũ aut misericordẽ æstimare:

modò super misericordia mea ne deliqueris, non potes nimis mihi confidere. Exercitium tuum igitur sit, bene de me sentire, quòd nolim te dãnare: quia & reuera quemlibet saluari volentem, quélibet non desperantem dãnare nolo. Sufficit mihi, ò Filia, quòd peccasse doleas: quòd peccare etiã deinceps nolis. Iãin statu es salutis: quid trepidas? Diues ego sũ, & clemens in miserationibus infinitis. Sic me cogita. Inde enim maiori me afficis honore, quàm quòd quasi crudelem aut durũ me imagineris: aut ita formides, quasi ad hoc solum vigilem, quomodo capiãaut inuoluã homines, si fortè hunc vel illũ scrupulũ, si hanc vel illam circũstantiam neglexerint in cõfessione. Ego te desidero, ego tua amicitia potiri cupio, ego abs te amari peto: cura igitur, vt meæ respondeas voluntati.

De satisfactione. Eccl. 9.

Iam verò de Satisfactione pro peccatis, hoc cõsilium tu amplectere, vt quicquid manus tua potest, instãter opereris, nõ tamẽ eo animo, aut eo fine, quasi tu peccata tua redimere velis, aut satisfacere queas. Ad hoc enim

nim opera tua nimis indigna, nimisque imparia debes æstimare. Sed age omnia, vt mihi placeas, quem offendisti. Me roga potius, & ita mihi confide, Meritis Passionis, ac Vitæ meæ sãctissime, tua velim abolere delicta atq; pro illis Patri meo satisfacere. Hæc Humilitas; hæcq; Fiducia ad me tua, quibus teipsũ operaq; tua vilificas, me verò ac Merita mea extollis, omnia satisfactionis tuę opera excellit: & me inclinat ad te, vt Meritorũ meorum Thesaurum tibi faciam cõmunem. Quandoquidem vna GVTTA Sanguinis mei excellit, & valoris ac satisfactionis plus habet omnibus meritis humanis: ideò pro peccatis totius mundi satisfacit. Quapropter hoc præcipuum sit studium tuum, vt beneplacitum meum non negligas: vt me continuè cogites, desideres, ames: & quæ iusti, siue per me, siue per vicarios meos, imò quęcunque volo, diligẽter perficias Etsi mille millium peccatorum haberes aceruos, omnia tibi sicut vnum peccatũ, dimitto. Neq; enim distat apud me, saluare ex paucis vel ex mul-

tis peccatis: vnde mille peccata, sicut vnã, ignosco. Mirũ est quod dicturus sum, certissima tamen indubitataque fide tenendum: Si totus mundus esset globus igneus, & in medio eius de stipula lini pugillus vnus: hic ex sua naturali inclinatione non tam citò flammarum reciperet incendiũ, quàm recipit abyssus Miserationum mearum peccatorem pœnitentẽ & conuerti volẽtem: quia in illa actione naturali quantulacunque peteretur morula, licet minima, ac fortasse imperceptibilis: hic verò nulla penitus mora inter pœnitentem & remittentem, inter gementem & gemitus exaudientem interuenit.

PRECATIONES ANTE S. Communionem.

CONFESSIO PECCATORIS AD Exemplum filij prodigi, ante S. Communionem dicenda.

ASpice animam meam, ô Pater Misericordiæ, quam secundũ Imaginem tuam effictam creasti, & Sanguine Filij tui dilecti mũdasti & abluisti. Hanc autem ego peccatis meis sic pollui ac fœdaui, vt vix pos-

ſim agnoſci. O pater optime, filius tuus fui, quem tanta gratia comprehẽderas, & beneficijs cumulaueras. Fui in domo tua cum honore & dignitate. In Sacramento Baptiſmi clementer me adoptaueras, filij & hæredis locum mihi dederas: ſed ego ingratè & impiè me geſſi, hæreditatem tua Clementia mihi oblatam, nequiter adminiſtraui, turpiter viuendo diſſipaui. Flore iuuentutis, pulchritudine corporis, & animæ bonis omnibus, voluntate mea, facultatibus prætereà ad voluptatem carnis, ad gaudia huius mundi, in ſuperbia, crapula, inuidia, libidine, auaritia, in acedia, in rebellione atque inobediẽtia, in libertate carnis, ſceleratè abuſus ſum. Nunc cùm nihil mihi ſuperſit, cùm omnia amiſerim, cùm merito meo Diuina tua Gratia & amore ſim priuatus: ſedeo iuxta aqualiculũ vnde ſues ſorbent: iuxta lintrẽ carnalium voluptatum: & tuæ Gratiæ & dignitatis meæ, qua me affeceras, oblitus ſum. Cupiditatem meam furfuribus, porcorum paſtu, explere cupio: hoc eſt, quæro carnales &

mundanas delicias, quibus me satiare gestio. Sed non nutrit ille cibus: non satiant hæ glandes. Omnes enim tēporales huius carnis & mundi voluptates, vanissimæ sunt: & veluti ventus euanescunt. Omnis caro fœnum: & omnis gloria hominis veluti flos graminis. Hodie qui superbit diuitijs, cras subita paupertate mœret: hodie incolumis incedit, cras infirmus decumbit. Hodie viuit & spirat, cras moritur: iacetq́; exangue cadauer. Hodie in magna pompa exultat, cras adfertur triste feretrum, & lamentabile funus producitur. Te igitur oro, ô misericors Pater: aduerte faciem tuam à peccatis meis: neve eorū in ira & furore tuo memineris. Respice me placatus, & miserere mei: sum lōgè enim infœlicissimus & miserrimus. Mea culpa, mea vita impia, tua Gratia me indignum feci. Malis concupiscentijs vulneratus sum, & lethaliter quidem: nihil sani est in carne mea. Sæpe spiritum tuum sanctum offendi: quoniam magis libidini meæ obsecutus sum, quàm inspira-

tioni Diuinæ morem gessi. Sed ô clemens Pater: te oro, ne proijcias me à facie tua. Tu à mundi exordio nemi nẽ Peccatorũ auersatus es, aut contemptum reiecisti: qui ex corde tuam Gratiam & auxilium expetijt. Sic igitur & ego filius perditus, ad te ô Pater benignissime, in summa necessitate venio, ad pedes tuæ Maiestatis me prouoluo: & sine vlla reticentia peccatorum meorum magnitudinem, põdus, varietatem & multitudinem confiteor. Hæc fecerunt, vt non sim dignus, qui filius tuus dicar. Sed oro te ô Pater benigniss. & misericors: fac me sicut vnũ ex mercenarijs in domo tua. Da mihi vt pœnitentiam agam, in tempore gratiæ, Pasce me & foue pane verbi tui: & cibo salutari sacrosancti corporis & Sãguinis tui: vt in te, & per te corroboratus, secũdum sermones tuos perseueranter viuam: & vt per Misericordiam tuam atque Pietatem patriam, in gratiã recipi merear: & restituar in pristinã dignitatẽ Filiorũ Dei, & æternæ Hæreditatis portionẽ, in aula tua cælesti nãciscar. Amẽ.

PRECATIO INSIGNIS ANTE communionem dicenda.

I. *Ex vetusto Cod.*

AD Mensam tui dulcissimi Conuiuij, Domine Rex Angelorum, ego indignus peccator accessurus, vereor & cõtremisco. Nam, cũ peccatricis Conscientiæ meæ librum reuoluo: vestem innocentiæ, quàm in Baptismo suscepi, grauiter cõscissam inuenio: vulnerumque meorum Cicatrices corruptas & putridas à facie insipiẽtiæ meæ, inspicio. Vnde miser ego inter angustias deprehẽsus, quid eligã ignoro. Scio & recordor verba tua, quibus discipulos tuos exhortatus es dicens: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius Sanguinem: non habebitis vitam in vobis. Sed propter grauia & multiplicia peccata mea, quæ supergressa sunt caput meum, exterrẽt me verba Apostoli tui, quibus comminatus est, dicens: Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Et rursum: Iudicium sibi manducat &

Psal. 37.

Ioan. 6.

1. Cor 11.

bibit:

bibit: non dijudicans Corpus Domini. O beata & pia Diuinitas. O tremenda Maiestas. O ineffabilis & inscrutabilis Sanctitas: quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Siquidē corda scrutaris: & conscientiarum quæque secretissima nudè & apertè intueris. Ad te ergo Fontem misericordiæ lauandus recurro: ad te pium Samaritanum infirmitatis humanæ singularem medicum sanādus festino: & quem iudicem sustinere nequeo, saluatorem habere desidero. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Video peccata mea multa & magna; & timeo: video suauitatem & misericordias tuas, quarum non est numerus, & sperare audeo. Respice Domine IESV CHRISTE, Rex æternæ gloriæ, Homo propter homines crucifixe: respice sacrosanctam Carnem tuam, cruci clauis affixam, lancea perforatam, & verberibus dirè & miserabiliter sauciatā. Recordare quoque sacrosancti Sudoris tui, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et hæc omnia & multò plu-

Psal. 138.

Luc. 22.

ra te pro me ſuſtinuiſſe memento. Illa ergo Pietas, quæ te traxit & vicit, vt in ſtatera victorioſiſſimæ Crucis, totius mundi peccata expiares: ipſa te cogat Clementia, vt mei miſerearis pleni miſerijs: tu qui fonte Miſerationis nunquã manare ceſſas. Amen.

II.
Ex Eodem Cod.

SAlue ſalutaris victima: pro me, & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salue nobiliſſime & precioſiſſime Sanguis de latere Domine noſtri IESV Chriſti profluens: & totius veteris ac nouę culpæ maculas diluens. Per hunc tuum precioſiſſimum Sanguinem, clemẽtiſſime Domine IESV, laua me ab omnibus iniquitatibus meis: vt purificatus mente & corpore accedere merear ad Sancta Sanctorum, & Sacramenta tui Corporis & Sanguinis deguſtare. Supplex te ô miſerator hominum obſecro: vt quæ ad delenda peccata hominum dediſti, non mihi ſint ad augmentum peccatorum: ſed ad indulgentiam & tuitionem. Fac me Domine, ita ea ore & corde percipere, atque fide & affectu ſen-

tire: vt per eorum virtutem merear cõformari similitudini mortis & resurrectionis tuæ: per veteris hominis mortificationem, & nouitatem vitæ: vt dignus sim corpori tuo, quod est Ecclesia, incorporari: vt sim verè membrum tuum, & tu caput meum: vt maneam in te, & tu in me: quatenus in Resurrectione reformes corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis tuæ: & in te in æternum gaudeam de gloria tua Amen.

Philip. 3.

III.

Ex Hortulo animæ.

AD Sacramentum Corporis & Sanguinis tui, Domine IESV Christe, miser ego peccator accedere præsumo, tanquam infirmus ad Medicum vitæ: immundus ad Fontem misericordiæ: cæcus ad Lumen claritatis æternæ: egemus ad Dominum cœli & terræ: nudus ad Regem gloriæ. Rogo itaque Domine IESV tuam clementiam: vt meam digneris curare infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cæcitatẽ, ditare paupertatem, vestire nuditatem: teq; Panem angelorum, & Regem regum, Dominumque Domi-

nantium, ea reuerētia & honore, eo timore & amore, ac tanta fidei firmitate & deuotione suscipere merear: sicut decet magnificum Nomē tuū. Paueo ego vilis & immundus homo leprosus Maiestatem tuam: quam adorant Angeli atque Archāgeli, tremunt Dominationes & Potestates: quem Præcursor tuus non audebat tangere: cœli Clauiger timebat accedere. Nec minus vereor, si non comedam carnem tuam, nec bibam sanguinem tuum: ne non habeam Vitam æternam: ne non sumens tantum Viaticum, lassatus tentationibus deficiam in via: & dum non adest Medicus, non saner ægrotus. Humiliter ergo cum Maria Ma dalena procidens ad pedes tuos: pe to mihi peccata dimitti. Accende me charitatem tuam: extingue vit virtutes infunde: gratiam auge. I clina cœlos tuos & descende: ve in domum pauperis tui. Dic: hod salus huic domui facta est: vt til coniunctus & vnitus pariter vn efficiar Spiritus. Amen.

Matth. 3. Luc. 5. Ioan. 6. Luc. 7. Psal. 143. Luc. 19. 1. Cor. 6.

IV.

QVæ lingua, aut quæ mens tibi digne gratias agere valet Domine IESV, pro ineffabili tua in nos Charitate. Qui vt hominem perditũ redimeres, homo fieri dignatus es: omnesque nostræ conditionis iniurias in te recipere: denique in ara crucis Agnus omnis expers maculę, hostia pro nobis fieri sustinuisti: pœnas nostris peccatis debitas exoluens vt nos Patri recõciliares. Quin & viuens & moriẽs te totum nobis impendisti, donasti, dedicasti. Nec his contenta fuit tua benignitas: sed ne quando obreperet tantæ charitatis obliuio, aut ne languesceret nostra de te fiducia: etiam nunc in cęlis regnans subinde reficis animas nostras cibo Corporis tui, & sacro Sanguinis tui poculo exhilaras: purificet, quęso, Spiritus tuus cor meũ, ne ad cœlestes epulas, & ad mensam etiam Angelis tremendam, accedã indignè: sed te diffuso in mentis meæ viscera, grandescã in te, ac vegetior fiam spiritualibus incrementis: quò perseuerem in beata societate mystici Corporis tui, quod sic vnum te-

cum esse voluisti, quemadmodum tu cum Patre vnum es: conglutinante Spiritu sancto. Cui laus & gratiarum actio, in omne æuum. Amen.

Non pigebit pium Sacerdotem describere insignem illam D. Ambrosij Epist. Mediolan. Precationem præparatoriam ad Missam: cuius initium est, Summe sacerdos, & vere pontifex Iesu Christe: quam breuitatis causa, ne libellus nimium turgesceret, omisi. Est enim prolixior. Addita est libro de Dignitate sacerdotali, qui adiunctus est libris de Sacramentis, Tom. 4.

BREVES PRECATIVNCVLæ, *seu potius Eiaculationes, ante Communionem, in accessu, dicendæ.*

Ex Liturgia B. Iacobi Apostoli.

DOmine Deus noster, Panis cœlestis, Vita vniuersi: peccaui in cœlum & coram te, nec sum dignus particeps fieri immaculatorum tuorum Mysteriorum: sed vt misericors Deus dignum me fac gratia tua, vt citra cõdemnationem particeps fiã sancti Corporis & pretiosi Sanguinis tui, in remissionem peccatorum, & vitam æternam. Amen.

Ecce Agnus Dei, filius Patris, qui tollit peccata mundi: mactatus pro mundi vita & salute. Cui gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce plenus miserijs accedo ad te ô Fons pietatis, suscipe Creator creaturam tuam, in visceribus Miserationis tuę: & per te, qui es totius desiderij supplementum, imple desiderantis animæ meæ affectum. Amen.

Ex Hortulo animæ.

ORIGINIS ADMONItiuncula.

QVando sanctum cibum, illudq́; incorruptibile accipis epulū, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis Corpus & Sanguinem Domini: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. *Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.*

Hom. 5. in cap. 8. Matt.

1 Cor. 11.

Dic ergo cum centurione.

DOmine non sum dignus, vt intres sub tectum meum: tātùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

PRECATIVNCVLAE POST Communionem dicendæ.

CORpus & ſanguis Domini noſtri IESV Chriſti,cuſtodiat animam meam & corpus meum in vitam æternam. Amen.

Concede quæſo Domine Deus:vt quicquid in mente mea vitioſum eſt, huius ſacroſancti medicaminis dodo curetur. Amen.

Ex Liturgia D. Iacobi Apoſtoli.

DEus,qui propter ineffabilē benignitatem tuam condeſcendiſti infirmitati ſeruorum tuorum, & dignatus es nos menſæ huius cœleſtis participes facere:ne condemnes nos peccatores ob perceptionem myſteriorum tuorum immaculatorum: ſed conſerua nos benignè in ſanctificatione Spiritus tui,vt ſancti effecti,conſequamur partem & hæreditatem cum omnibus Sanctis, qui tibi ab æterno accepti fuerunt, in lumine vultus tui, per miſericordiam vnigeniti Filij tui Domini & Dei,ac Seruatoris noſtri IESV Chriſti: cū quo benedictus es cum ſancto & viuifico Spiritu tuo:nunc & ſem-

per, & in sæcula sæculorum. Amen.

Largitus es nobis Domine Deus sanctificationem in perceptione sanctissimi Corporis & preciosi Sanguinis vnigeniti Filij tui, Domini nostri Iesu Christi: impartire nobis gratiã quoq; S. sancti tui boni, & conserua nos inculpabiles in fide: deduc nos in perfectam adoptionem & redemptionem, & in futuras illas fruitiones: tu enim es sanctificatio & illuminatio nostra Deus ac vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus sanctissimus: nunc & semper, & in sæcula sęculorum. Amen.

Ex Liturgia Basilij Magni.

DEus noster, Deus saluãs, tu nos doce dignè gratias agere tibi pro benefactis quæ fecisti, & facis nobiscum: tu es Deus noster, qui accepisti munera ista: munda nos ab omni inquinamento carnis & spiritus: & doce nos perficere sanctificationẽ in timore tuo: vt in testimonio mundæ conscientiæ suscipientes portionẽ sanctificationis tuæ, coadunemur sancto Corpori & Sanguini Christi tui: & suscipientes ea, habea-

2. Cor. 7.

mus Christũ habitãtem in cordibus nostris, & efficiamur templum tui sancti Spiritus. Et neminem nostrûm reum facias Deus noster, horribiliũ tuorum, vedelicet istorum cœlestiũ Mysteriorum: neque infirmum anima & corpore, ob indignam eorum susceptionem: sed da nobis vsque ad nouissimum anhelitum, dignè suscipere spem sanctificationum tuarũ, in Viaticum vitæ æternæ: in excusationem acceptabilem in terribili tribunali Christi tui: vt & nos cũ omnibus Sanctis, qui à sæculo tibi placuerunt, fiamus participes æternorum bonorum, quæ præparasti diligentibus te Domine. Amen.

GRATIARVM ACTIO
ex Psal. 102.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: benedic anima mea Domino.

Ex Sapientiæ Cap. 12.

O quàm suauis est Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esuriẽtes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes.

ORATIO ECCLESIAE.

DEus qui nobis sub Sacramento mirabili, Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus ita nos Corporis & Sanguinis tui sacra Mysteria venerari: vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD GRATIAR. ACTIO-*nem, à Communione, Admonitio. Ex Constit. Apost. lib. 7. cap. 26.*

Estote ex omni parte gratijs agendis intenti, tanquam fideles ac grati serui. Atq; in agendis gratijs, dicite hoc modo.

GRATIAR. ACTIO.

Eadem habentur in Epist S. Ignatij ad Philippens.

GRratias agimus tibi Pater noster, pro vita, quam manifestasti nobis per Iesum Christum Filium tuum, per quem cuncta creasti, & vniuersis prouides: quẽ & misisti ad saluandum nos, vt fieret homo: quẽ permisisti pati, & mori: & suscitatũ glorificare voluisti, & à dextris tuis collocasti: per quem nobis promisisti resurrectionem mortuorum. Tu Domine omnipotens, Deus æterne, quemadmodũ hoc dispersum erat, & congregatum factum est vnus panis, ita congrega Ecclesiam tuam, à finibus terræ in regnum tum. Etiam gratias agimus tibi Pater noster, pro pretioso sanguine IESV Christi, qui effusus est pro nobis: & pro pretioso Corpore, cuius hæc antitypa, perficimus, ipso nobis ordinante, vt annunciaremus eius mortem: per quem tibi gloria in sæcula sæculorũ. Amen.

ALIA GRATIARVM
actio post Communionem.

Ex iisdem Constit. Apost li. 7 cap. 27.

GRatias agimus tibi Deus & Pater IESV Christi Saluatoris nostri, pro sancto nomine quod habita-

uit in nobis: & pro cognitione, fide, charitate & immortalitate, quã dedisti nobis per Iesum Christum filiũ tuũ. Tu Domine omnipotẽs, cunctorum Deus, creasti mundum, & quæ in eo sunt per ipsum: & legem plantasti in animis nostris, & victum pręparasti hominibus. Deus sanctorum & irreprehensibilium patrũ nostrorum Abrahã, Isaac, & Iacob, fideliũ seruorũ tuorum. Deus fortis, fidelis, verus, & non mentiens in promissionibus: qui IESVM Christum tuũ in terram misisti, vt cum hominibus versaretur vt homo, qui erat Deus Verbum & homo: errorem vt radicitus euelleret.

Tu ergo per ipsum memento huius Ecclesiæ sanctæ tuæ, quam acquisisti precioso Sãguine Christi tui: & libera eam ab omni malo, & perfice in dilectione tua & veritate: & congrega nos in regno tuo, quod pręparasti. Amen.

ALIA POST COMmunionem.

AGo tibi gratias Domine IESV Christe, pro ineffabili Charita-

te, quòd genus humanum tua morte sanctissima redimere dignatus es: & oro ne patiaris tuũ sacrosanctum Sanguinem pro me frustra effusum esse: sed tuo Corpore pascas animũ meum, tuo Sanguine viuifices spiritum meum: vt efficiar idoneum mẽbrum Corporis tui mystici, quòd est Ecclesia; nec vnquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extrema Cœna, distributo pane & porrecto poculo, pepigisti cum discipulis tuis electis: & per hos cum omnibus, qui per Baptismum in societatem tuam insiti sunt. Amen.

QVOMODO SE QVISQVE à Communione gerere debet. Admonitio.

Ex D. Ioan. Chrys. Ho. 26. in Matth.

Coloss 3.

Apostolus dixit: Et grati estote. Optima quippe beneficiorũ, custos est ipsa memoria beneficiorum & perpetua gratiarum confeßio. Propterea & reuerẽda ac salutaria illa Mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recorda

tio plurimorum: caputq; ipsum diuinæ ergà nos Charitatis ostendunt, nosq; faciunt debitas Deo gratias semper exoluere. Agamus igitur ei iuges gratias: & nō modò verbis hoc nostrū, verū etiā operibus: imò ipsis principaliter.

PRECATIO ECCLESIAE,
pro vitæ correctione.

DOmine Deus, qui nos hoc sacramento tuo recreasti: à peccatorum nos nostrorum maculis emunda, actus nostros clementer corrige, mores compone, à cunctis perturbationibus & iniquitatibus libera: mentesq; nostras in tuæ Charitatis ac Pacis tranquillitate confirma: & in viam salutis æternæ nos misericorditer dirige. Amen.

SENTENTIAE ALI-
quot insignes.

D. IOAN. CHRYSOSTO-
mi, de veritate Corporis & Sanguinis D. N. Iesu Christi in Eucharistiæ Sacramento.

SEd iam nos ad terribilem mēsam cum debita reuerentia, cum cōgrua vigilantia, opportunū tempus inuitat: nullus ibi Iudas reperiatur,

Hom de proditione Iudæ.

nullus

nullus malignus accedat,nullus veneno pungatur,nec fucata verba lingua proferantur, nec insidiæ mente condantur:sed quod voluntas possidet,sermo declaret. Et nunc præstò est Christus:qui illam ornauit mensam,ipse istam quoq; consecrat.Non enim homo est, qui Corpus Christi facit & Sanguinem:sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur: & Dei virtute proposita consecrantur & gratia.*Hoc est*,ait,*Corpus meum*: hoc verbo proposita consecrantur.Et sicut illa vox, quæ dicit: *Crescite & multiplicamini,& replete terram* semel quidem dicta est,sed omni tempore sentit effectum ad generationẽ, operãte natura:ita & vox illa semel quidem dicta est,sed per omnes mẽsas Ecclesiæ vsq: ad hodiernũ diem, & vsque ad eius aduentum præstat firmitatem.

Gen 1.

Hom. 83. in Matth.

Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei,etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit, superet & sensum & rationem nostram: quod in omnibus

& pre-

& præcipuè in Myſterijs faciamus, non illa quæ antè nos iacent ſolummodò aſpicientes, ſed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius fraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa eſſe nō poſſunt, hic ſæpius atque ſæpius fallitur. Quoniã ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate: ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus.

Recolite, quia illius Corpus eſt & Sanguis, qui ſupra cęlos reſidet: qui ab Angelis ſuppliciter adoratur. Illius, inquam, qui proximè aſſiſtit, immortali Dei potentiæ: huius delibamus ſanguinem, & proprium corpus nobis ſumendum tradidit.

Cogita quãta indignatione aduerſus proditorem, aduerſus eos qui crucifixerunt Dominum, mouearis; & caue: ne tu quoque Corporis & Sanguinis Chriſti reus efficiaris. Illi acerbiſſimè trucidarunt: tu poſt tot tantaque beneficia ſordida ſuſcipis anima. Non enim ſufficit ipſi hominē, fieri, flagellis cædi: ſed nos ſecum in vnam, vt ita dicam, maſſam

Hom. 83 in Matth.

reducit: neq; *id fide solum, sed reipsa* nos corpus suum efficit. *Eadē habet Hom. 60. ad pop. Antioch.*

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor oues pascit proprio sanguine? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus doloré, filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse nō est passus: sed ipse nos proprio pascit cruore, & per omnia nos sibi coagmētat. Vnicuique fidelium per hoc Mysteriū se cōmiscet: & quos genuit, per seipsum enutrit, nec alteri tradit, &c. *Vide Hom. 83. in Matth. & Hom. 61. ad pop. Antioche.*

IOAN. LVD. VIVES.

In Prec. & Medit. gener.

NIhil Christo charius, quā spōsa sua Ecclesia: ideoq; memoriā sui sempiternam, quandiu ea peregrinatur in terris, nō in rebus alienis, sed in semetipso reliquit & commendauit.

Hoc est vicissim ingens gaudium, & perenne solatium Ecclesiæ, quo vt ipsa constat ex carne & spiritu, ita non spiritualiter modò, sed corporaliter quoq; habet sponsum suum: eun-

eundem illum, qui ſedet ad dexterã Patris. Quomodo illic ſit Chriſtus, quomodo à nobis ſumitur, excedit ſenſus noſtros: ſed quid non ſenſus noſtros in natura vniuerſa ſuperat & tranſcendit? Quòd ſi ad nos referamus diuina, nihil non erit difficile atque incredibile: ſin ad Deum, omnia facilia, plana, credibilia.

PRECATIONES IN AFFLICTIONE ET CRVCE.

XXII.

Hebræorum 12.

Deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum per patientiã, curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & cõſummatorẽ Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucẽ, confuſione contempta, atq; in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eũ qui talẽ ſuſtinuit à peccatorib⁹ aduersũ ſemetipſum cõtradictionẽ: vt nõ fatigemini, animis veſtris deficientes, &c. Quẽ diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filiũ

quem recipit, in disciplina perseuerate. Tanquam filijs nobis offert se Deus, quis enim filius, quem non corripit pater?

D. AVGVSTINI PRECATIO *in aduersis.*

Medit. ca. 38

MIserere Domine, miserere pie: miserere mihi miserrimo peccatori, indigna agēti, & digna patienti: assiduè peccanti, & tua flagella quotidie sustinenti. Si penso malum quod feci, nō est tantū quod patior: grauius est quod commisi, leuius est quod tolero. Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum. Omnia iudicia tua iusta sunt & vera. Iustus & rectus es tu Domine Deus noster: & nō est vlla iniquitas in te. Non enim iniustè neque crudeliter affligis non peccatores, omnipotens & misericors Domine: qui cùm non essemus, potenter fecisti nos: & cùm perditi fuissemus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos. Scio & certus sum, quòd vita nostra non temerarijs motibus agitur: sed à te Domino Deo nostro disponitur &

Psal. 118
Tob. 3.
Psal. 91.

guber-

gubernatur. Vnde tibi cura eſt de omnibus præcipuè de ſeruis tuis: qui totã ſpem ſuã poſuerunt in ſola miſericordia tua. Idcirco obſecro, & ſuppliciter rogo, vt non facias mihi ſecundũ peccata mea, quibus iram tuam merui, ſed ſecundum magnam miſericordiã tuã: quę ſuperat etiam totius mundi peccata. Tu Domine, qui exterius flagella irrogas, da ſemper indeficientem patientiam: ita vt laus tua non recedat de ore meo. Miſerere mei Domine, miſerere mei: & adiuua me, ſicut tu noſti, quod mihi neceſſe eſt in corpore & in anima. Scis omnia, potes omnia: qui viuis in ſæcula. Amen.

1. Pet. 5.

ALIA, AD TRISTIA.

Ioan. Lud. Viues. Prou. 3.

TVum eſt Domine oraculum, viſitare te ac caſtigare quos diligis. Quid poteſt nobis contingere fęlicius, quàm vt tu velis paternam erga nos curam exercere: eamq; oſtẽdas nobis ſignis euidẽtiſſimis? Quid poteſt tãtò beneficio cõparari? Oramus te Pater optime & clementiſſime, vt pergas nos paterno affectu ad virtutẽ inſtituere ac erudire: tollas,

per quæ ſimus peiores: tribuas ſanè aduerſa, ſi per illa tanquam per amaram medicinam ſimus purgandi: modò etiam efficiat in nobis tua Gratia, vt admonitiones tuæ, cui ſint vſui agnoſcamus. Fac nos obliuiſci huius viæ, ac meminiſſe patriæ: & ſi adijcis pondus aduerſorum, adde etiam robur, quo nec ſuccumbamus oneri: ſed fortiter portemus, perpetuò ad te intenti & erecti. Cæterùm tua ſunt Domine omnia: fac de omnibus ſine exceptione, quod inſcrutabili tuo conſilio cordi fuerit: hoc dempto, ne me tibi inimicum eſſe patiaris.

ALIA PRO PATIENTIA *in aduerſis ad exemplum S. Iob. c. 1. & 2.*

G. Aloſt.

O Quàm clementiſſime Deus, cuius miſerationes ſuper vniuerſa opera tua: cœleſti nos quæſo fauore tuo perſequere, quo iuſtum illum ac ſimplicem Iobũ imitemur: grato ac patienti animo te laudãtes, non modò rebus ſuccedẽtibus proſpere, ſed etiam tum, cùm peccantes caſtigas nos: quippe qui beneficijs

tuis ad illicitas voluptates abusi simus: quæ nullo nostro merito, larga manu, gratuitò continentur impertis. Per Christum Dominum nostrũ. Amen.

PSALMVS LXXVI.

Est Doctrina & Consolatio insignis, quomodo Christianus calamitatibus & varijs incommodis, ac tristibus cogitationibus pressus, debeat ad Deum confugere simulque pristinarum liberationum Exempla intueri: quæ demonstrant sedulò inuocantibus Deum adesse exauditorem. Ex quorum contemplatione oritur similis auxilij impetrandi fiducia, quod olim Deus populo suo benigniter ostendit.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus.

Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus.

Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.

Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

Nunquid in æternum proijciet Deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericordiam suam abscindet: à generatione in generationem?

Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: & turbatæ sũt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: vocẽ dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & cõtremuit terra.

In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oues populum tuũ: in manu Moysi & Aaron.

ECCLESIA.

OMnipotens sempiterne Deus, qui nos in tantis periculis cõstitutos, propter humanam fragilitatem scis non posse consistere: da nobis salutem mẽtis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris nos affligunt, te adiuuante vincamus.

Parce Domine, parce peccatis nostris: & quãuis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeatur: præsta tamen, quæsumus, vt quod ad perpetuum meremur exitium, trãs-

eat ad correctionis auxilium. Per Dominum nostrum Iesum Christũ filium tuum. Amen.

PRECATIO.

Qua nos totos Diuinæ voluntati in periculis & angustijs committimus: & vt omnia ad Dei gloriam & animæ salutem cedant, petimus.

Io. Fer. MItissime Deus, largire quęsumus Gratiam tuam, qua tibi in omnibus, siue secundis siue aduersis, adhæreamus confidentes, te diligamus, te timeamus, te laudemus & veneremur: tibi laus & honor in sæcula. Fiat Pater in me voluntas tua: sicut in cęlo & in terra. Iusta sunt enim iudicia tua: nos autem creatura tua miserabilis. Benedictum nomen tuum in æternum: & quia tu solus quid expediat nosti, & quod sum, & quod ero, à te origine præscitum est: hoc mecum operare, quod meæ saluti, tuæque gloriæ erit commodum. Amen.

PSALMVS XXXIII.

Dei erga suos Curam & Bonitatem prædicat magnificè: & ad Gratiarum

actionem pro Beneficijs liberationis, simulq́, ad timorem & innocentiæ studium hortatur. Est pulcherrimus Psalmus, habens inter textas suauissimas & amplissimas Consolationes: quod et si affligantur pij, tamen Deo curæ sint, &c.

BEnedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum.

Exquisiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum & illuminamini: facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius saluabit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timẽtium eum: & eripiet eos.

Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti

eius: quoniā non est inopia timentibus eum.

Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominū non minuentur omni bono.

Venite filij, audite me: timorē Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.

Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.

Vultus autem Domini super faciētes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.

Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum:

rum: vnum ex his non conteretur.

Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum, delinquent.

Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

IN PERICVLIS HOSTIVM perſequentium & calumniantium, Precatio.

DOmine Deus, Miſericordia mea & Refugium meum, Suſceptor meus & Liberator meus: qui liberaſti Dauid ſeruũ tuum à gladio pernicioſo: eripe me à tyrannide hominum impiorum. Demitte manum tuam ab alto, & eripe me: & libera me de aquis multis, & à violẽtia filiorum alienorum: quorũ os loquitur vanitatẽ, & dextera eorum iniquitate roborata. Eripe me ab hoſtibus meis Domine: tuæ enim Protectioni iam olim cõcredidi me. Itaq; ad te nunc leuo oculos meos, maximis ſpebus animo de tua Pietate conceptis. Quiſquis enim te quæſierit, non pudefiet: nec ſpe ſua fruſtrabitur. Expedi, quæſo, pedes meos à la-

G. Aloſt. Carthuſ. Pſal. 143.

Pſal. 122.

queis: quos clanculum posuerunt mihi. Vide quàm sint multiplicatæ tribulationes cordis mei: eripe me ex omnibus malis meis ad tuum solius asylum confugientem. Per Christum D.N. Amen.

Psal. 24.

ALIA.

Dan. 13.

OMnipotens sempiterne Deus, qui eruis omnes sperātes in te suscipe causam meam, contra persecutores & calumniatores meos, qui famæ vitæque insidiantur meæ. Domine succurre benignus in adiutoriū mihi: me consolare in omnibus tribulationibus meis. Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Tu solus es refugium meū à tribulatione quæ circundedit me: exultatio mea, erue me à circundātibus me. Tu Abraham de manibus Chaldæorum liberasti: tu Iacob de manu Esau, & Iosephum à fratrum suorum inuidia eripuisti. Tu Dauidē de manu Goliath & Saulis: Susannā à calumnia & falso crimine seniorū: Danielem de lacu leonum liberasti. Non est abbreuiata manus tua, vt saluare nequeas. Clamo ad te Domine:

Psal. 69. *Psal. 31.* *Gen. 22. 32. 33 & 37.* *1. Reg. 17.* *1. Reg. 19.* *Dan. 13.* *Dan. 6.* *Esa. 50. 59* *Psal. 141.* *Psal. 63.*

dixi

dixi enim, Tu es Spes mea. Exaudi Deus orationem meam: à timore inimici eripe animam meam. Domine libera animam meã à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: ego autẽ in misericordia tua speraui. Qui viuis & regnas, &c.

Psal. 119.
Psal, 12.

PSALMVS LXIX.

Psalmus est precatorius: quo vt Dauid petit liberationem à persecutione Saulis & aliorum hostium: ita Ecclesia in vrgentibus periculis & malis, orat sibi celerẽ Dei opem, hostibus autẽ confusionem.

DEus in adiutorium meum intẽde: Domine ad adiuuandũ me festina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

ECCLESIAE PRECATIO.

DEus qui cōtritorum nō deſpicis gemitū, & mœrentium nō ſpernis affectum, ſuſcipe preces noſtras, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, tuum implorantes auxilium: vt quicquid contra nos diabolicæ vel humanæ moliuntur fraudes, ad nihilum redigas, & conſilio tuæ pietatis allidas: vt nullis inſectationibus læſi, ſed ab omnibus periculis & anguſtijs liberati, tibi gratias referamus. Per Chriſtum D. N. Amen.

IN BELLO: PRO AVERTENDIS præſentibus calamitatibus, Precatio.

Ioan. Ferus.

CReator cœli & terræ, Deus omnipotens, æterne Pater, miſericordia plenus. En bis miſeri, natura & vſu in malum propenſi homines, confitemur coram te & ingemiſcimus, toties, totque modis Diui-

næ nos tuæ voluntati repugnasse: nō modò quòd in te Deum & Patrem nostrum sine vllo respectu, sineque timore peccauimus, verùm etiam quòd proximum nostrum in omni iniustitia vitam trāsigentes læsimus. Hinc nos meritò hāc, qua flagellamur Diuinæ animaduersionis tuæ virgā agnoscimus. Sed quia homines quotidie magis magisq; in iniustitia carnem & sanguinem sequentes prolabimur: ad tui auxilij virtutē & dexteram quærendam incitamur. Ea propter supplices tibi facti Deo & Patri nostro, ex intimis cordibus nostris suspiria ducimus: illumina quæsumus animas nostras, sancti tui Spiritus lumine: solue mentium nostrarum duritiē, vt innatam simul & vsu quæsitam agnoscamus malitiam, eāque mediante Pœnitentia deponamus: & denique vitam nostram in melius commutemus: id quod iusta ira tua exigit, salus nostra postulat, tuque solus ô Deus, ô Pater, tua miseratione præstare potes. Tu ergo si hanc emendationis gratiam nobis concesseris: indubitata fide spera-

mus, fore, vt hãc belli calamitatẽ corrigas, cladem, quam patienter perferimus, in speratum finẽ perducas: animos hostium nostrorum in synceræ Concordiæ amorem cõtrahas: & nos in vnitatis vinculo cõserues, quo te Patrem, & Filium, & Spiritũ sanctum, vnicum, sempiternum, omnipotentem DEUM & DOMINUM, in Fidei vnitate, Spei constantia, Charitatis necessitudine confiteamur, veneremur, laudemus & exaltemus. Per IESVM Christum Dominum & Seruatorem nostrum: cui in tui Pater, tuique S. S. vnitate, immortalis gloria. Amen.

TEMPORE DEVASTATIONIS POLITIARUM.

Qualis ante annos aliquot in Hollãdia & Zelandia, nunc ANNO 1579. *in Brabantia & Gueldria, alijsq; Belgij Prouincijs, facta est: vbi optimus quisq; Magistratu deiectus, facultatib⁹ exutus, atque è ciuitatibus expulsus est: suffecti homines perditi: nauci flocciq; ne æstimandi. Dei templa, Cœnobia, Hospitalia, impiè violata, direpta, vastata.*

Oratio Hierm: Prop. Thren. 5.

RECordare Domine quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrũ. Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus. Ceruicibus nostris minabamur lassis non dabatur requies. Aegypto dedimus manum, & Assyrijs: vt saturaremur pane. Patres nostri peccauerunt & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus. Serui dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. In animabus nostris afferebamus, panem nobis, à facie gladij in deserto. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est à facie tempestatũ famis. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. Adolescẽtibus impudicè abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt. Senes defecerũt de portis: iuuenes de choro psal-

ro psallẽtium. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Sion quia desperijt: vulpes ambulauerũt in eo. Tu autem Domine in ęternum permanebis: solium tuum in generatione & generationem. Quare in perpetuum obliuisceris nostri: derelinques nos in longitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros, sicut à principio. Sed proijciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

TEMPORE STERILITATIS & Famis, Precatio.

Ex Hier. c. 14.

PRopter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram, cõfusi sunt agricolæ. Si iniquitates nostræ respõderint nobis, Domine fac propter nomen tuũ: quoniam multæ sunt auersiones nostrę: tibi peccauimus. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est

ſuper nos, ne derelinquas nos. Cognouimus Domine impietates noſtras, iniquitates patrum noſtrorũ: quia peccauimus tibi. Nunquid ſunt in ſculptilibus gentium qui pluant: ant cæli poſſunt dare imbres? Nonne tu es Dominus Deus noſter.

TEMPORE PESTIS AN-*tiphona.*

QViescat ira tua Domine, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui: ſicut iuraſte per temetipſum, Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis, miſerere nobis.

Pet. Lud. Maldur.

ORATIO.

OMnipotẽs & miſericors Deus: reſpice propitius ſuper populũ Maieſtati tuę ſubiectum: & ne nos furor ſæuiens inueniat, dextera tuæ propitiationis cuſtodiat. Per Chriſtum D.N. Amen.

ALIA.

NOn eſt mirum ô iuſtiſſime Pater, ſi varijs modis in nos ſæuiũt elementa huius mundi: nũc terræ quaſſationibus, nunc tempeſtatibus ac fulminibus, nunc fluminum

ac marium exundationibus, nunc cę lestium corporum exitialibus concursibus, nunc aeris infecti cōtagio: qui tuis donis adeò frequenter abutimur. Agnoſcimus creaturam hîc quoque ſeruientem atque obedientem Conditori ſuo, cuius precepta nos toties negligimus: agnoſcimus & paternam diſciplinam, qua nos leuiter correptos reuocas ab huius mundi fiducia, & ad æternæ vitæ deſiderium attrahis. Supplices rogamus, vt in ira tua miſericordiæ recorderis: & quibus offenſus immiſiſti has afflictiones, propitiatus ſubmoueas. Non multum nocebit Peſtilentiæ contagium, ſi noſmet à vitiorum contagio ſubducamus. Sed vtrũque ô miſericordiarum Pater, tui muneris eſt: primum vt mentem habeamus à malitiæ venenis liberam, & corpus à peſtilentiæ contagio tutum. Qui in hac vita ſpei ſuæ fixerũt ancorã, in huiuſmodi periculis confugiunt ad exquiſita antidota: nos quibus perſuaſum eſt, neminem manum tuam poſſe effugere, nihil arbitramur tutius, quam ad teipſum cō-

fugere: à iusto ad misericordem, velut ad tutissimam aram nosipsos recipere: qui nunquam destituis spẽ omnem in tua bonitate repositam habentes. Quo protectore in tuto sunt & qui moriuntur.

CONTRA PESTILENTIAM & famem.

ORATIO ECCLESIAE.

DA nobis quæsumus Domine, piȩ supplicationis effectum: & Pestilentiam, Famemq; propitiatus auertere: vt mortalium corda cognoscant, & te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Christum D.N. Amen.

CAVSAE PESTILENTIAE & famis.

Leuit. 26. Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, nec feceritis omnia mãdata mea, si spreueritis leges meas: inducam super vos Gladium vltorem fœderis mei. Cumq; confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, &c. Repetuntur Deuter. 28. Et de murmurantibus Israelitis dicit: Feriam eos Pestilentia, atq; cõsumã. Nu. 14. Sic in Hieremia: Gladio, inquit, &

Fame, & Peste cõsummam eos. Ca. 14. Vide eundẽ Ca. 24. 27. 29. 34. 42. 44. Et Ezech. Cap. 5. 6. 7. 12. 14.

REMEDIVM PRAESENTISS. contra Pestem: & alia quæcunque mala.

Recip. *Agnitionem peccatorum, & verã humilitatẽ, qua te castiganti Domino humiliter submittas. Ps. 138. Quò ibo à spiritu tuo: & quò à facie tua fugiam? Tob. 13. Non est qui effugiat manum tuam Domine.*

Recip. *Feruentes ad Deum Preces.*

Recip. *In vera cõuersione ad Deum, in vniuerso corde tuo, Pœnitẽtiã à vijs tuis pessimis. 2. Paral. 7. Si clausero cœlũ, & pluuia non fluxerit, & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilentiã in populum meũ: conuersus autẽ populus meus, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciẽ meam, & egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis: exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum. Vide etiam 3. Reg. 8.*

Misceantur hæc simul, aqua oculorum tuorum. Psal. 118. Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei. 4. Reg. 20. Conuertit Ezechias faciem suã ad parie-

tē, & orauit fleuitq; fletu magno Probatum est.

2. Reg. 24. 1. Par. 21. Peccauit Dauid misitq; Dominus pestilentiam grauē, vt mererentur septuaginta millia virorū. Pœnituit autem Dauid: & ait Dominus Angelo percutienti populū. Sufficit &c. Et cohibita est plaga Israel.

PRECES ECCLESIAE
pro peccatis.

MEdia vita in morte sumus: quē quærimus adiutorem, nisi te Domine? qui pro peccatis nostris iustè irasceris. Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos.

KYRIE eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, &c.

Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatē fecimus. *Psal. 105.*

Domine non secundum peccata nostra facias nobis: neq; secūdum iniquitates nostras retribuas nobis. *Psal. 102.*

Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *Psal. 78.*

Adiuua nos Deus salutaris noster,

& propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomẽ tuũ.

Peccata nostra Domine, quęsumus, memor humanæ fragilitatis absolue: & quicquid pro eis meremur, tua immẽsa pietate placatus auerte.

Exaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter indulgentiam nobis tribuas benignus & pacem.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram: & quos delictorũ catena constringit, miseratio tuę pietatis absoluat.

Ineffabilem misericordiam tuã nobis Domine clementer ostende: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pęnis, quas pro his meremur, eripias.

Fac nos Domine Deus noster, tuis obedire mandatis: quia tunc nobis prospera cuncta prouenient, si te totius vitæ sequamur autorem. Per D. N. Iesum Christum filium tuũ. Qui tecum viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN MORBO ALIQVO: SEV *quauis alia afflictione.*

CLementissime Redemptor, qui semper es misericors, semper es Seruator: siue tristia nobis immittis, siue læta. Magna enim misericordia est, dũ per externas afflictiones, velut per amara pharmaca, sanas hominem interiorem: perq; tẽporaria molestias præparas nos ad sempiterna gaudia: quandoquidem hanc ad veram fœlicitatem viam ipse nobis tuis vestigijs præsignasti. Da vt hũc calicẽ, velut abs te porrectum, patienter & obedienter ebibam. Sunt hæc quidem naturæ permolesta: sed & tu pro me grauiora passus es, & ego longè grauiora merui. Nosti tamen humanæ conditionis fragilitatem: eoq; veluti clemẽs ille Samaritanus, vulneribus nostris infundis vinum emordens vitia nostra: sed addis oleum tuæ consolationis, quo quæ nobis sunt intolerabilia toleremus. Si visum est addere doloribus, adde & patientiæ donum: velisq; has corporis afflictiones mihi cedere in remissionem delictorum

meorum. Aut si paterna pietas hac miti castigatione cõtenta est. tẽpestatem hanc excipiat serenitas, vt tibi vtroq; nomine gratias agã: & quòd inutilem famulum clementer emẽdaris, & quòd afflictionis amaritudinẽ cõsolationis dulcedine sustuleris: illic rationẽ habens necessitatis, hic non immemor nostræ infirmitatis. Tibi laus & gratiarum actio in omne æuum. Amen.

Alia Aegrotantis.

OMnipotẽs & misericors Deus, qui per ægritudines corporales nostræ admones mortalitatis: reuocans ad pęnitentiam. Ad te clamo ex toto corde meo: ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: Saluũ me fac propter misericordiam tuã. Sana me Domine & sanabor: Saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Tu vulneras & mederis: percutis & manus tuæ sanant. Tu occidis & viuificas: deducis ad inferos & reducis. Proinde, si hæc infirmitas non est ad mortem: fer opẽ super lecto doloris mei

Psal. 6
Hier. 17
Iob 6.
Tob. 13
Ioan. 11.
Psal. 40
Psal. 39
Tob. 3

placeat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandũ me respice. Psal. 30. Si autẽ mihi iam expedit mori magis quàm viuere: fac mecũ secũdum voluntatem tuam: & præcipe in pace recipi spiritũ meũ: quem in manus tuas cõmendo. Qui viuis & regnas Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMVS LXXXIX.

Præsenti Psalmo Propheta describit humanæ vitæ breuitatem & multiplicem miseriam: quam ob peccatum humanum genus incurrisse agnoscit. Deinde precatur, vt ex temporali hac castigatione omnes doceantur metuere venturam Dei iram: & vt placatus Dominus reparare velit sua misericordia humanũ genus, ac calamitatẽ eius in fœlicitatem commutare: suoq; fauore electorum suorum opera dirigere in viam pacis æternæ.

DOmine refugiũ factus es nobis: à generatione in generationẽ.

Priusquam mõtes fierent, aut formaretur terra & orbis: à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.

Ne auertas hominẽ in humilitatẽ: & dixisti, Cõuertimini filij hominũ.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt.

Et custodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Manè sicut herba transeat, manè floreat & trãseat: vespere decidat, induret & arescat.

Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati sumus.

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor.

Quoniam superuenit mansuetudo: & corripiemur.

Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Dexteram tuam sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

Conuertere Domine, vsquequo? & deprecabilis esto super seruos tuos.

Repleti sumus manè misericordia tua:& exultauimus & delectati sumus in omnibus diebus nostris.

Lætati sumus prò diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.

Respice in seruos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.

Et sit splendor Domini Dei nostri super nos,& opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

GRATIARVM ACTIO, IN mitigatione morbi. Ex ca. 13. Tobiæ.

MAgnus es Domine in æternum,& in omnia sæcula regnum tuum: quoniam tu flagellas & saluas,deducis ad inferos & reducis: & non est qui effugiat manum tuam.

PSALMVS XXIX.

Est Gratiarum actio pro liberatione à graui morbo, alijsque mortis periculis. Habet autem insignem commendationem Misericordiæ Dei: & consolationem, quòd Deus quidē affligit suos, ne stabilem sibi in hac vita fœlicitatē promittant: sed iterum liberat. Iratus percutit: placatus sanat. Vesperi adest fletus: manè exultatio.

EXaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animā meam: saluasti me à descendentibus in lacum.

Psallite Domino omnes Sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.

Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundātia mea: Non mouebor in æternum

Domine, in voluntate tua: præstiti decori meo virtutem.

Auertisti faciem tuam à me: & factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

Quæ vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi puluis: aut annunciabit veritatem tuam?

Audiuit Dominus & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.

Conuertisti planctum meum in gaudiū mihi: concidisti saccum meū, & circundedisti me lætitia.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

EIACVLATIO ET BENEdictio ad quemcunq; casum acerbum: Ex Iob. ca. 1. & 2.

SIcut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus.

PRO FELICI EXITV EX *hoc sæculo, Precatio.*

Psal. 101 Omnipotens sempiterne Deus, cuius anni non deficiunt: tu homini in sæculo hoc cõstituisti terminum, quem præterire non potest. *Iob 14. Esa. 38* Qui quasi flos egreditur & conteritur: & fugit velut vmbra, & nunquã in eodem statu permanet. Cuius vita celeriter fugit, tanquam radius textoris: transfertur quasi tabernaculũ pastorum: præciditur velut filum, quòd subitò à texente abrumpitur. *Psal. 102. Esa 40. Psal. 38. Thren 5. Psal. 38.* Recordaris quia puluis sumus: homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri: qui mane efflorescens, vesperi arescit & decidit. Tu autem Domine in æternum parmanebis: soliũ tuũ in generatione & generationẽ. Notum fac mihi Domine finẽ meũ: doce me, vt semper sim memor mortalitatis meæ. Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei, non polliceor mihi annos multos, in hac peregrinatione mea. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & *Psal. 61* vita mea tanquam nihilum ante te. Similis sum parieti inclinato, & sepi

tantùm non collapsæ: da ne fidam lubricitati & incertitudini vitæ huius: vt diues ille stultus, cuius anima citò repetebatur ab eo: sed per tuam gratiam in timore tuo quotidie me præparem ad emigrationem ex hoc ergastulo meo: & tibi Deo meo viuam, in fide solidus & spe firmus: expectans cum alacritate diem discessus meï, & salutarem apparitionem filij tui Domini & Saluatoris mei Iesu Christi. Fac me seruum fidelem & prudentem, qui semper paratus sim ad aduentum tuum Domini mei: ne subita mortis hora præuentus, & tanquam laqueo aucupis obrutus inueniar imparatus: sed in vera Conuersione & Pœnitentia, cupiam dissolui & esse tecum. Tribue quoque, vt in agone mortis meę eluctatus ex omnibus difficultatibus & tentationibus, triumphem victor, per præsentiam & efficatiā S. sancti tui. Et apropinquante hora expirationis meæ: dimitte me seruum tuū Domine in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Luc.12. *2 Cor.5.* *Tit 2.* *Eccl.9.* *Philip.1.* *Luc.2*

Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel. Per eũdem Christum D.N. Amen.

D. AVGVSTINI eiaculatio.

Medit. c. 30

CONcede mihi Domine Deus sic custodire & regere & finire vitam meam: vt in pace dormiam, & in te requiescam. Præsta mihi in finem, vt me excipiat somnus cum requie, requies cum securitate, & securitas in æternitate. Amen.

IN MORTIS PERICVLO, Precatio.

DOmine IESV Christe, vnica Salus viuẽtium, æterna Vita morientium: tuæ sanctissimæ voluntati me totum submitto, tradoque: siue hanc animulam in huius corpusculi domicilio diutius cõmorari placeat ad tibi seruiendum, siue ex hoc seculo demigrare velis: certus, nõ posse perire, quod tuæ Misericordiæ commissum est. Carnem hanc fragilem ac miseram æquo deponam animo, videlicet spe Resurrectionis: quæ mihi illam reddet multò fœliciorẽ.

Animam quæso vt aduersus omnia tentamenta tua gratia corrobores: contraque omnes Satanæ assultus cinge me scuto tuæ Misericordiæ: qua olim martyres tuos aduersus horrendos cruciatus, ac mortes crudelissimas, inuictos reddidisti? Video quàm nihil in me sit præsidij: in tua inenarrabili Bonitate tota est fiducia mea. Nihil habeo meritorum, quod allegem apud te, malorum heu nimis multum video: sed per tuam iustitiam confido me in numero iustorum censendum. Tu mihi natus es, mihi sitisti, mihi esuristi, mihi docuisti, mihi orasti, mihi ieiunasti, mihi tantum bonorum operum in hæc vita peregisti, mihi tā acerba passus es, mihi in cruce pretiosam animam tradidisti. Prosint mihi nunc, quæ spōte donasti. Tuus sanguis abluat maculas criminum meorum: tua iustitia tegat iniustitiam meam. Tua merita me supremo iudici commendent. Ingrauescente malo, adauge gratiam tuā: ne vacillet in me Fides, ne titubet Spes, ne frigescat Charitas, ne terrore mortis deijciatur hu-

mana infirmitas: sed posteaquam mors occuparit oculos corporis, mentis tamen à te non deflectantur: cumq; linguæ vsum ademerit, cor tamen instáter ad te clamet: IN MANVS TVAS DOMINE, COMMENDO SPIRITVM MEVM: cui laus, honor & gloria sine fine. Amen.

Psal. 30
Luc. 23

EIACVLATIONES EX *Psalmis: cùm aliàs, tum præcipuè in mortis necessitate, vsurpandæ iuxta Psalmorum ordinem in Psalterio, positæ.*

Psalm 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

Psal 15.

Conserua me Domine, quoniam speraui in te. Sis in conspectu meo

ſemper: & à dextris mihi, ne commouear.

Inclina aurem tuam mihi: mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. Cuſtodi me vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum protege me. *Pſal. 16*

Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me? ad defenſionem meam conſpice. *Pſal. 21.*

Ad te Domine leuaui animam meã: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarũ tuarũ, quæ à ſæcula ſunt. Delicta iuuentutis meæ, & ignorãtias meas, ne memineris. Secundum miſericordiã tuã meméto mei: propter bonitatẽ tuam Domine. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meũ: & dimitte vniuerſa delicta mea. Cuſtodi animam meam & eripe me: non erubeſcam quoniam ſperaui in te. *Pſal. 24*

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. *Pſal. 26.*

Illu-

Psal. 30 Illustra faciem tuam super seruũ tuum: saluum me fac in misericordia tua. Domine non confundar, quoniam inuocaui te.

Psal. 37 Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum conturbatũ est in me: dereliquit me virtus mea. Ne derelinquas me Domine Deus: meus: ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

Psal. 39 Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice. Adiutor meus & protector meus tu es: Deus meꝰ ne tardaueris.

Psal. 40 Domine miserere mei: sana animã meam, quia peccaui tibi.

Psal. 50 Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam. Et secũdum multitudinem miserationum tuarũ dele iniquitatem meam. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus.

Psal. 56 Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarũ sperabo.

Saluum

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerũt aquæ vsq; ad animam meã. In multitudine mesericordiæ tuæ exaudi me: in veritate salutis tuæ. Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarũ respice in me. Et ne auertas faciem tuam à me: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam. *Psal. 58*

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris. *Psal. 99.*

In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, & salua me. Esto mihi in Deum protectorem: & in locum munitum, vt saluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. Tu es patientia mea Domine: Domine spes mea à iuuentute mea. In te cõfirma- *Psal. 70*

tus ſum ex vtero: de ventre matris meæ, tu es protector meus. Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.

Pſalm. 85. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego. Cuſtodi animam meã, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum, Deus meus ſperantẽ in te. Miſerere mei Domine, quoniã ad te clamaui tota die: lætifica animã ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meã leuaui. Quoniam tu Domine ſuauis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. Reſpice in me & miſerere mei. Fac mecum ſignũ in bonum, vt videant qui oderunt me & confundãtur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & cõſolatus es me.

Pſal. 88. Vſquequo Domine auertis in finem: exardeſcet ſicut ignis ira tua? Memorare quæ mea ſubſtantia: nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum?

Pſal. 118. Fiat miſericordia tua vt cõſoletur

me:

me: secũdum eloquium tuum seruo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ & viuam. Tuus sum ego: saluum me fac. Adiutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui. Suscipe me secundum eloquium tuum & viuam: & non confundas me ab expectatione mea: adiuua me & saluus ero. Fac cum seruo tuo secũdùm misericordiam tuam. Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundum iudicium tuum viuifica me. Errraui sicut ouis quæ perijt: quære seruum tuum Domine.

Psal. 12 De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuę intẽdentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinuit te Domine.

Psalm. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo: quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Velociter exaudi me Domine: defecit spirit⁹ me⁹. Non auertas faciem tuã à me. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te

con-

confugi: Educ de tribulatione animam meam.

PSALMVS CXLI.

Vt in suis persecutionibus Dauid fuit Christi figura, & Christianorum omnium adflictorum exemplum: ita quoque & ad Christum hic Psalmus pertinet, cùm in sua Passione ab omnibus derelictus ad Patrem clamaret: & ad omnes fideles, qui varijs adflictionibus exerciti, præsertim verò Mortis periculo obiecti, omni etiam humano destituuntur auxilio.

VOce mea ad Dominũ clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

In deficiendo ex me spiritum meũ: & tu cognouisti semitas meas.

In via hac qua ambulam; absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.

Perijt fuga à me: & non est qui requirat

quirat animam meam.

Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuẽtium.

Intende ad deprecationnem meã: quia humiliatus ſum nimis.

Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectãt iuſti, donec retribuas mundi.

INITIVM PSALMI XXX.

Cuius verbis vſus eſt Chriſtus in Cruce, cùm Patri ſuo cœleſti ſpiritum ſuũ commendaret. Luc. 23.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: vt ſaluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomẽ tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritũ meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

S. Petri Apoſtoli morientis, Precatio.

Abdias.

GRatias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei viui: non ſolũ voce & corde, ſed ſpiritu quo te diligo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi õnia, & in omnibus: tu mihi totum: & nihil mihi aliud præter te ſolum: qui es bonus, & verus Dei filius Deus. Cui cum æterno Patre & Spiritu ſancto, honor & gloria eſt, in cuncta ſemper ſæcula ſęculorum, Amen.

S. Ioannis Apoſtoli ſub extremam Vitæ horam.

Idem.

SVſcipe me Domine Ieſu: vt cùm fratrib. meis ſim. Aperi mihi pulſanti ianuam vitæ: principes tenebrarum non occurrãt mihi: nec veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus extranea à te non cõtingat me: ſed ſuſcipe me ſecundum verbum tuum, & perduc me ad conuiuium epularũ tuarum, vbi epulantur omnes amici

tui. Tu es Christus filius Dei viui, qui præcepto Patris mundũ saluasti: qui & Spiritum sanctum tuum nobis destinare dignatus es. Per eundem Spiritum tibi gratias referimus, per infinita sæculorum sæcula, Amen.

Veni Domine Iesu. *Apoc.22.*

S. Thomæ Apostoli.

TV Domine, qui animam inopem replere consueuisti, imple ea quæ mihi desunt: & esto mecum, donec ad te veniam, & te videam. *Abdias.*

Polycarpi martyris, Calicem Domini iam bibentis.

DEus dilecti & benedicti filij tui IESV CHRISTI Pater, per quem tui agnitionem suscepimus: Deus Angelorũ & Virtutũ & vniuersæ creaturæ ac totius iustorũ Generis: qui omnes coram te viuũt: benedico te, qui me in hãc horam perducere dignatus es, vt particeps existerem martyrum & Calicis Christi tui: in resurrectionem vitæ æternæ, animæ ac spiritus mei, per incorruptionem Spiritus sancti. In omnibus laudo te, & glorifico te: per æternũ Deum, & Pontificem Iesum Chri- *Euseb. Eccl. hist. l.4 c.15*

stum,

ſtum, dilectum filium tuum: per quem, & cum quo, tibi cum Spiritu ſancto, gloria, & nunc & in fututra ſæcula. Amen.

S. Agnes in Medio ignis hanc orationem fudit ad Dominum.

Ambroſ. Serm. 90

OMnipotens, adorande Pater Domini noſtri IESV Chriſti: te confiteor labijs & corde: te totis viſceribus cõcupiſco. Ecce ad te venio viuum & verum Deum: qui cũ Domino noſtro IeſuChriſto, & cum Spiritu ſancto viuis & regnas in cũcta ſæcula ſæculorum. Amen.

S. Cypriani Epiſcopi & Martyris oratio: quam ſub die paßionis ſuæ dixit.

Hæc oratio eſt prolixior: ſed hic breuitatis cauſa, contracta.

Exod. 2

DOmine ſancte Deus hagios Pater, ad te leuaui animam meã: Deus meus, tibi gratias & laudes refero. Tu omnium Dominus dominantium, libera me de hoc ſæculo: & exaudi me orantem, ſicut exaudiſti filios Iſrael de terra Aegypti. Rogo Domine, ſubueni mihi: noli me ſecundum actũ meum iudicare: nihil enim in præceptis tuis parui. Exaudi me orãtem, ſicut exaudiſti Ionam de

vētre ceti, ſic exaudias me, & eijcias me de morte ad vitam. Sicut Niniuitæ induerunt cinerem & cilicium, & pœnitentiam egerunt ante Dominũ: ita & ego exomologeſin faciēs ante cōſpectum tuum, pro vniuerſis peccatis meis: qui es amator pœnitentię, miſerere mei. Sed & Dauid dicit: Domine, propter nomen tuum dele peccatum meum. Et ęgo deprecans maieſtatem tuã: dele vniuerſa peccata mea. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti tres pueros de camino ignis: & ſicut exaudiſti Danielem de lacu leonum. Exaudi me ſicut exaudiſti Tobiam & Saram, dum orarent in atrio domus ſuę: & ſicut exaudiſti Suſannam inter manus ſeniorum. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ezechiam regem Iudæ, & deleſti ab eo infirmitatem: ſic & à me auferas infirmitatem carnis: & augeas mihi ad fidē, ſicut illi auxiſti annos quindecim ad vitam. Te deprecor Pater maieſtatis, qui in fine tēporum miſertus es noſtri, mittēs nobis Ieſum Christum filium tuum, Dominũ Deũ Saluatorem noſtrũ, natum ex Maria

Ioan. 3. *Matt. 12.* *Dan. 3.* *Dan 6.* *Tob. 8.* *Dan. 13.* *4 Reg. 20.* *4 Reg. 20.*

Luc. 1. virgine de Spiritu sancto, nunciante Gabriele angelo: per quem nos liberasti de periculo mortis imminẽtis. Et te deprecor Filium Dei viui, propter vniuersa commissa mea: qui fecisti tanta mirabilia: qui es in cœlis filius in patre, & pater in te in sempiternum: qui sedes super Cherubim & Seraphim honoris tui. Tibi assistunt Angeli, Archangeli, numerus innumerabilis, timentes & pauentes honorem & virtutem tuam: clamãtes voce magna & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Tu ipse nobis testamentum fecisti: Petite & accipietis: pulsate & aperietur vobis. Quodcunq; à Patre meo petieritis in nomine meo: ego à Patre peto, vt accipiatis. Ego peto, vt accipiam: quæro, vt inueniam: ego pulso, vt aperiatur mihi: ego in tuo nomine peto, vt tu à Patre petas, & detur mihi. Paratus sum propter nomẽ tuum victimam sanguinis fundere: & quodcunque tormentum sustinere. Tu es Domine àdiutor meus & defensor: defende me ab aduersario meo. Angelus tu⁹

Esa. 6. Apoc 4. Matt. 7. Ioan. 16.

lucis protegat me: quia tu dixisti, Quod credētes petieritis per oratio nem, dabitur vobis. Omnis homo mendax: tu es verax. Sicut tu promisisti, potestatem habes Domine dare mihi omne Sacramentum cœleste: vt dignus sim faciem Sanctorum tuorum videre. Spiritus in me operetur, voluntas tua in me fiat: quoniam tibi spopondi omnibus diebus vitæ meæ: qui passus es sub Pontio Pilato, bonam cōfessionem: qui crucifixus descendisti, & cōculcasti aculeū mortis. Deuicta est Mors: deuictus est inimicus Diabolus. Tu resurrexisti à mortuis, & apparuisti Apostolis tuis, sedes ad dextram Patris, qui vēturus es iudicare viuos & mortuos. Tu dominaberis: Libera me de manu quęrentis animam meam. Per Nomen tuum libera me ab aduersaria potestate: vt opem des vincendi inimicum meum: quoniam tu es potens assertor & aduocatus precum & petitionum nostrarum animarum. Die ac nocte interpellas pro peccatis meis: orationem meam perferas ad Patrem tuum. Et tu

Matth. 21.

Psalm. 115.

1. Tim. 6.

Domine sancte Pater, dignare respicere super preces meas, sicut respexisti munera Abel. Digneris me liberare ab igne & pœna pereni: & ab omni tormēto quod parasti iniquis: per bonum & benedictum Iesum Christum Saluatorem nostrum: per quem tibi laus, honor, virtus, gloria, in sęcula sęculorum, Amen.

Genes. 4.

S. HIERONYMI IN AGONE *mortis constituti Eiaculationes ad Iesum Christum* D. N.

DOmine Iesu, Refugium meum & Virtus, Susceptor meus & Liberator meus: in quē speraui, cui credidi, quem dilexi: turris fortitudinis, & spes mea à iuuentute mea: operi manuum tuarum, cui vitam & misericordiam tribuisti, tuæ Clementiæ porrige dexteram.

Eusebius de morte Hieron.
Psal. 143.
Psal. 60.
Psal. 70.
Iob. 14.

Tu susceptor meus es, Gloria mea, & exaltans caput meum: suscipe me secūdum multitudinem miserationum tuarum. Nam latronem in cruce moriens suscepisti.

Psal. 3.

Exurge Domine, adiuua me, exurge, & ne repellas in finem: suscipe seruum tuum in bonum. Propter

Psal. 43

hęc

hoc namque non relinquens Patris dexterã, adhæsisti humanitati meę: os ex ossibus meis, & caro de carne mea: factus Deus & Homo, vt confidenter ad te accederem, quasi ad fratrem: & tuam mihi misericorditer donares Diuinitatem. *Psal.118.*

Sicut seruus præstolatur finem operis sui, sic & ego expecto te Domine. *Iob.7.*

Intret postulatio mea in conspectu tuo: fiat manus tua vt saluum me faciat. *Psal.118.*

Ecce virum qui descendens in Hiericho: captus à latronibus & vulneratus, semiuiuus relictus est: tu Pie Samaritane, recipe me. Peccaui nimis in vita mea: & malum coram te feci. A planta pedis vsque ad verticẽ capitis, nõ est in me sanitas. Sana me tu Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero. *Luc.10.* *Esa.1.* *Hier.17.*

Cęcum iuxta viam clamãtem: IESV FILI DAVID, MISERERE MEI: Lumine tuæ visionis ęternæ illumina. O lux inuisibilis, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiã in morte: ne quando dicat inimicus *Luc.18.* *Psal.12.*

meus, preualui aduersus eum.

Psal. 50. Auerte faciem tuã à peccatis meis.
Psal. 118. Dele iniquitates meas: secundũ magnam misericordiam tuam. Ne proijcias me à facie tua.

Ego sum ouis quæ erraui: require eã bone Pastor, & appone ouili tuo.
Luc. 15. Verè non sum dignus vocari filius tuus: quia peccaui in cœlum & coram te.
Psal. 50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.

Psal. 102. Non secundum peccata mea facias mihi, neque secundùm iniquitates meas retribuas mihi: sed adiuua me
Psal. 78. Deus salutaris meus: & propter gloriam Nomnis tui libera me.

Psal. 50. Benignè fac in bona voluntate tua,
Psal. 26. vt inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ: vt in sęculum sæculi cũ habitãtibus in ea laudem te. Ne declines in hac hora à seruo tuo.

Ne tradas me in manus persequẽtium me: expecto te Domine.

Credo videre bona Domini in terra viuentium.
Psal. 29. Conuerte planctum meum in gaudium mihi:
Psal. 30. Inclina ad me aurem tuam: accelera, vt de hac lacrymarũ valle eripias me. Amen.

VLTIMA D. HIERONYMI *morientis verba.*

ECce ad te venio, pie Iesu: suscipe animam meam, quam tuo recuperasti Sanguine. *Euseb.*

Suspiria hominis ægroti, dissolui & esse cũ Christo desiderantis: eiusque auxilium & liberationem maxima fiducia sperantis & expectantis. *Ioan. Fisch. Episc. Roff.*

DOmine Lux mea & salus mea, à quo nam metuam: Domine fortitudo vitæ meæ tu: in quo semper sperabo. *Psal. 26.*

Quemadmodum ceruus ad riuulos aquarũ, sic desiderat anima mea ad te ô Deus. Sitit anima mea ad te: quoniam apud te est fons vitæ, & refrigerium in tribulatione. *Psal. 41.*

Hic labor atque dolor, calamitas atq; miseria. Quotidiè bellum cum inimicis, nulla requies, nec pax in vita nostra. *Psal. 35.*

Sed quisquis in adiutorio tuo fiduciã posuit: securus protectione tua in æternum consistit. Is dicet tibi, susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus in te sperabo. *Psal. 90.*

Tu liberabis me de laqueo venantium, & à periculis me persequentium.

Sub scapulis tuis vmbram mihi facies: & sub alis tuis illæsus ero. Scuto circundabit me veritas tua: & malum ad me non appropinquabit.

Et propterea si inimici mei aduersum me prælientur, vt me totum deuorent, terga minimè vertam.

Psal. 26. Si steterint aduersum me castra potentium non timebit cor meum: si ingruat mihi mors, in te secur⁹ ero.

Tu abscondes me in tabernaculo tuo: in die malorum abscondes me in secreto tentorij tui, supra petram me constitues.

Leuabis me supra inimicos meos me circumuallantes: & de manibus eorum me eripies.

Psal. 137. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me, & super iram inimicorum meorũ extendes manũ tuã: & saluum me faciet dextera tua. Domine, tu omnia pro me perficies, ô Deus in ęternum misericordia tua: opus manuum tuarum non despicies.

Quàm pretiosa est bonitas tua Domine: & filij hominũ in vmbra alarum tuarum sperabunt. Saturabuntur ab vbertate domus tuę: & torrẽte deliciarum eos potabis. De fonte vitæ tecum bibent: & in tuo lumine lumen videbunt. Fortitudinem meã adscribam tibi: quoniam tu es protectio mea, Deus meus & Saluator meus. *Psal. 35.* *Psal. 58.*

Et ideò quacunque die territus fuero: ego in te confidam.

In quacunque die te inuocauero, scio quòd Deus meus es tu. *Psal. 55.*

In æternum custodi mihi misericordiam tuam: & fœdus tuum fidele mecum perstet. *Psal. 88.*

Et si deseruerim legem tuam, & in iudicijs tuis nõ ambulauerim, si statuta tua prophanauerim & pręcepta tua transgressus fuerim: in virga tua visita præuaricationes meas: & in verberibus tuis scelera mea.

At misericordiam tuam à me ne tollas: neq; fidem tuã irritã reddas.

Ne scindas fœdus quod nobiscum inijsti: & quod egressum est de labijs tuis, ne immutes.

In te enim ſalus & gloria noſtra conſiſtit: Deus adiutor nobis, in quo ſemper ſperamus.

Et hoc certum eſt, quòd omnes qui in te confidunt, non confundentur.

Eccl. 2. Quis enim ſperauit in te, & confuſus eſt: aut quis inuocauit te, & deſpexiſti illum?

Pſal. 24. Tu firmamentum es timẽtibus te: & teſtamentum tuum illis oſtendis.

Et ego ad te clamo Domine: & credo quòd ſaluabis me, propter magnam miſericordiam tuam.

Me expectant impij, vt perdãt me: ſed ego in miſericordia tua confido.

Protector meus, & ſcutum meum es tu, Deus meus, fortitudo mea, refugium & liberator meus.

Expecto ſalutem tuam Domine: beatus homo qui in te confidit.

In manus tuas ſpiritum meum cõmitto: redime me de poteſtate tenebrarum ſeculi huius: Amen.

ALIAE PRECATIVNCVLAE *breues in mortis agone vſurpandæ.*

Agenda Herbipol. QVemadmodum Domine Ieſu Chriſte, te iubente, & in tuam

promissioné, in aqua & Spiritu sancto, mediante passione & morte tua, in filium Dei regeneratus sum: ita te donante, in eandem promissionem credidi. Et nunc Domine, de tua miseratione confisus, volens & lubens hanc quam donasti reddo animam: da vt promissionis tuę veritaté adeptus, te Deum Creatorem, Redemptorem, & Saluatorem meum in æternum magnificem. Amen.

Pro ea Domine Iesu, quæ erga te mihi est fiducia, oro atq; obtestor, vt omnis diræ illi' in corpore tuo passionis acerbitas, Patri pro meorum meritis scelerum nũc propitiatoria sistatur hostia: vt ei' merito, in meo hoc excessu, anima mea ab omni terrore, qui ex peccato esse solet, libera, eò peruehatur vbi nulla torquet tristitia. Qui cum Patre & sancto Spiritu viuis & regnas in sempiterna sæcula. Amen.

Laus & honor & gratiarum actio sit tibi Domine Iesu Christe, pro passione & morte tua acerbissima. Te Redemptorem & Saluatorem meũ agnosco. Tu mundum, tu peccatum,

tu infernum & diabolum vicisti: ne quid detrimenti mihi adferant. In hoc spero, in hoc confido, in hoc acquiesco: sit tantum miseratio tua mecum. Ne derelinquas me; in his maximis angustijs meis Domine, Amen.

Adauge Domine Iesu Christe fidē & fiduciam meam in te: ne quid de diuina miseratione tua addubitem. In gratiæ tuæ promissionibus ô Domine custodi me. Nunquam excidat quia tu Saluator meus, Spes mea, Domine adsis mihi: ne tradas animam meam in manus inimicorum meorum: sed secūdùm magnam misericordiam tuam animam meam suscipe: qui tuum ipse Patri commendasti spiritum.

Simon Ver. ep.

Obsecro te benignissime Iesu: vt quoniam ipse, qui te aspiciam, indignus sū: tu me propitius misericordiæ tuæ oculis respicere digneris: quibus in domo Caipha te abnegantem, Magdalenam pedibus tuis aduolutam, & latronem in cruce misericorditer respexisti.

Luc. 22. 7. 23.

In

In ſpiritu humilitatis ſuſcipiar à te Domine Ieſu, vita & ſalus animæ meæ. Neq; enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.

Dan 3 9.

Ego ouis illa amiſſa, ad te Paſtorē & curatorem animæ meæ redeo: vocem tuam ſolius noui, nō alienorum. Peto Domine, vt ad ouile me reducas. Potéſne ſpernere vocem clamātis & confugientis ad te? Nónne tu dixiſti: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum?

Luc. 15.
1. Pet. 2.
Pſal. 90.

Ecce clamo, plus corde quām ore. Domine, tribulatio proxima eſt: & nō eſt qui adiuuet, niſi tu bone Ieſu.

Pſal. 21.

Non auſim Domine affectare fœliciū ſedes ſpirituum, qui ſpeciem intuētur ſanctiſſimæ Trinitatis; portio tamen Creaturæ tuę poſtulo micas ſuauiſſimæ menſæ tuæ. Nimium mihi fuerit: ſi ſubtus calcaneū infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo ſeruulo tuo non negaueris.

Matth. 15.

Creator & Redemptor meus Ieſu

Christe: pone passionem, crucem & mortem tuam, inter iudicium tuum & animam meam. Totum me tibi dedo: non me renuas. Ad te venio: non me repellas.

Tob. 3. Nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam: & præcipe in pace recipi spiritum meum.

Psal. 30 In manus tuas Domine, commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Sonet in mentis meæ auribus vox illa dulcis, *Luc. 23.* Domine Iesu: Hodie mecum eris in paradiso.

VLTIMA CHRISTI IESV IN *cruce verba. Lucæ 23.*

Pater: in manus tuas commendo spiritum meum.

S. STEPHANI MORIENtis *verba. Acto. 7.*

Domine Iesu: suscipe spiritum meum.

PRE-

PRECATIONES XXIII.

AD MEMORIAS SANCTORVM cum Christo viuentium.

ORIGINES.

Omnes Sancti, qui de hac vita discesserunt: habentes charitatem adhuc erga eos qui in hoc mundo sunt, si dicamus curam gerere salutis eorum: & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum: non erit inconueniens. Scriptum namque est in Machabæorum libris: Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.

In Cãtica Homil. 3.

2. Mac. 15.

D. HIERONYMVS.

Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quantò magis post coronas, victorias & triumphos? Vnus Moses, sexcentis millibus armatorũ impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquã cũ Christo esse cœperint,

Aduers. Vigilant.

Exod. 32.

Act. 7.

rint, minus valebunt? Paulus Apostolus 276. animas sibi dicit in naui condonatas, & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est: & pro his qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?

Act. 27.

Si piè faciebat, qui Paulo in terris agenti dicebat: Ora pro me Dominum: impius habebitur, qui totidem verbis appellet eundem nunc agentem in cœlis? Si prosunt alijs merita militantium, nunquam vsui erunt merita regnantium?

AD S. MARIAM VIRGINEM Deiparam.

Chrysost. in Litur. Luc. 1.

GAbriele dicente tibi virgo: AVE MARIA GRATIA PLENA, cum voce incarnatus est omnium Deus in te sacrosancta Arca. Ostensa es latior cœlis, quę tuũ Creatorem portasti: gloria ei qui habitauit in te, gloria ei qui per tuum partum nos liberauit. Quę verum peperisti Deum: ipsi supplica, vt animas nostras saluet.

ECCLESIA.

CONcede quæsumus omnipotens Deus fragilitati nostræ præsidium: vt qui sanctæ Dei genitricis Mariæ memoriam agimus, intercessionis eius auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus: & à malis omnibus eruamur.

Protege Domine famulos tuos subsidijs pacis: & beatæ Mariæ semper virginis patrocinijs confidẽtes, à cunctis hostib. redde securos. Per Christum D. N.

AD SS. ANGELOS.

SAncti Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, sancti Throni, sancti Cherubim & Saraphim, & omnes ministratorij Spiritus, cunctiq; superni Ciues: intercedite atque orate pro nobis miseris & indignis seruis vestris: simulque pro omni Ecclesia sancta Dei: vt digni efficiamur promissionibus Christi: vt per vestras orationes, vestro beato cõsortio coniungamur in coelis, in sæcula sęculorum.

Io. Cass. Eph. 1. Coloss. 1. Hebr. 1.

EC-

ECCLESIA.

DEVS qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dom nostrum.

AD S. ANGELVM CVSTODEM.

Io. Lud. Viues

QVantum debeo communi nostro Domino & parenti: qui te mihi dedit, vt duceres videns cæcum, sapiens stultum, fortis imbecillem: & quidem inter tot pericula & præcipitia? O quoties me discriminibus exemisti: quoties in perniciē ruentem seruasti? Maximas tibi ago gratias pro eo, quod præstas mihi quotidie. Et vehementer peto atque obtestor: vt seruare me pergas, ac perseueres: abducas à malo, retrahas ad bonum: coge etiam nolentē, adiuua volentem, impelle euntem: denique sic ducito, vt tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper iam frueris: vt quemadmodum hic vel pupillus fui tuus vel cliens, sim illic ciuis & socius. Per C. D. N. amē.

AD S. IOANNEM BAPTISTAM.

IOannes beatissime Præcursor Christi, præco Iudicis, amicus spõsi, vox verbi Diuini: qui solatium nostræ redemptionis annunciare meruisti: impetra nobis miseris apud eundem Dominum nostrum Iesum Christum tuis sanctissimis precibus: vt purgatis à vitijs pectoribus & ornatis virtutibus, paremus secũdum salubria tua monita, viam Domini, & rectas faciamus semitas eius: quatenus in extremo iudicio, cũ aream Ecclesiæ suæ mundauerit, & triticum à paleis separauerit: mereamur inter grana tritici, & electos suos inueniri: & in horreum cœlestis mansionis cum eis reponi.

Ludoph. Carth.
Matth. 3.
Ioan. 1.

ECCLESIA.

OMnipotens sempiterne Deus: da cordibus nostris illam tuarum sequi rectitudinem semitarum, quam beatus Ioannes Baptista, in deserto Vox clamantis edocuit. Per Christum.

AD SS. APOSTOLOS.

APostoli, legatione fungimini apud misericordem Deum: vt

pecca-

peccatorum remiſſionem animabus noſtris tribuat. Qui primas inter Apoſtolos habetis ſedes, Petre & Paule, orbiſquedidaſcali: apud omnium Dominum legatione fungimini, vt pax mundo donetur: & animabus noſtris magna miſericordia.

ECCLESIA,

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: & Apoſtolorũ tuorum Petri & Pauli, & omniũ Apoſtolorum tuorum nos tuere pręſidijs, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis. Per Chriſtum.

AD SS. MARTYRES.

S. Ephre. Ediſs.

PRecamur beatiſſimi Martyres, qui pro Domino Saluatore noſtro, proq; illius charitate, ſponte & impigrè tormenta ſubijſtis, atque ideo familiarius Domino coniuncti eſtis: vt pro nobis miſeris peccatoribus Dominum interpellare dignemini: vt ſuperueniat in nos gratia Chriſti, quæ corda noſtra radio ſanctæ claritatis illuſtret: vt ipſum toto corde diligere poſsimus.

ECCLESIA.

DEus qui beatos Martyres tuos virtute constantiæ in passione roborasti: ex eorum nobis imitatione, tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

DE SS. CONFESSORIBVS,

Antiphona.

BEati estis sancti Dei: qui meruistis consortes cœlestium virtutum, & perfrui æternæ claritatis gloria. Ideoq; precamur, vt memores nostri, intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

ECCLESIA.

SAnctorum Confessorum tuorũ quæsumus Domine precibus adiuuemur: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis, qui ante te iusti inuenti sunt, oratione donetur. Per Christum.

DE S. VIRGINIBVS.

OMnes sanctæ Virgines, orate pro nobis: vt digni efficiamur promissionibus Christi.

ECCLESIA.

OMnipotens sempiterne Deus: fac nos tibi semper deuotam gerere voluntatem, & Maiestati tuæ syncero corde seruire, & sanctarum Virginum precibus, contra diabolicos tuere incursus. Per Christum.

SANCTORVM OMNIVM Commemoratio.

Chrys. in Liturg.

APostoli, Martyres, & Prophetæ, Sacerdotes, Confessores & Iusti, cum Mulieribus sanctis: qui bene certamen consummastis, & fidem seruastis, fiduciam seruantes ad Saluatorem: pro nobis orate saluari animas nostras.

ECCLESIA.

DEvs qui nos beatæ Mariæ semper virginis, & omnium cœlestium virtutum, sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum cõmemoratione lætificas, præsta quæsumus: vt quos deuoto veneramur officio, etiam piæ conuersationis sequamur exemplo. Per Christum D.N. Amen.

D. AVGVSTINI AD cœlites, Precatio.

FOelices sancti Dei omnes, qui iam pertransistis huius mortalitatis pelagus: & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis & pacis, securi & tranquilli, semperque festiui atque gaudentes. Obsecro vos per vestram charitatem: qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcessibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iã immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis, estote iugiter memores nostri: subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ, circunstãtibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem: adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes super pedes: vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello.

Meditat. cap. 24.

Orate pro nobis miseris peccatoribus: vt per vestras orationes, vestro sancto consortio coniungamur. Sumus nanque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mācipia: in quibus vix aliquod virtutis vestigium appa ret. Et tamen sub Christi confessione positi, ligno crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum & spatiosum: vbi sunt reptilia, quorum non est numerus: vbi sunt animalia pusilla cum magnis: vbi est draco sęuissimus, semper paratus ad deuorādum: vbi sunt loca periculosa Scylla & Charybdis, & alia innumerabilia, in quibus naufragamur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum omnia agmina Sanctorum, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Amen.

LITANIA CATHOLICA.

KYRIE eleiſon.
CHRISTE eleiſon.
KYRIE eleiſon.
Chriſte audi nos.
Saluator mundi, adiuua nos.

Sancta & immaculata virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini noſtri IESV Chriſti, interuenire pro nobis digneris apud illum, cuius meruiſti effici templũ. Sancte Michael, ſancte Gabriel, ſancte Raphael, ſancti chori Angelorum, atq; Archangelorum, Patriarcharum atque Propherarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Leuitarum, Monachorũ, Virginum, omniumq; iuſtorum: per illum qui vos elegit, & de cuius cõtemplatione gaudetis: rogamus, vt pro nobis Deo ſupplicare dignemini.

Auguſt. lib. Med. ca. 40

Petitiones. Propitius esto: Parce nobis Domine.

Propitius esto: Libera nos Dom.

Ab insidijs diaboli: Libera nos Domine.

Ab ira tua. Libera nos Domine.

A peste & clade: Libera nos Domine.

A fulgure & tẽpestate: Libera nos.

A subitanea & improuisa morte: Libera.

A cæcitate cordis: Libera nos Domine.

Ab ira & odio, & ab omni mala voluntate: Libera.

Ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis: Libera.

A morte perpetua: Libera nos Domine.

Obsecrationes. Per Aduentum tuum: Libera nos Domine.

Per Natiuitatem tuam: Libera.

Per Baptismum & Ieiunium tuũ: Libera.

Per Passionem & Crucem tuam: Libera.

Per mortem & Sepulturam tuam: Libera.

Per

Per gloriosam Resurrectionem tuam: Libera.

Per admirabilem Ascensionem tuam. Libera.

Per Aduentum & Gratiam S. Spiritus Paracleti: Libera.

In die iudicij: Libera nos.

Peccatores: Te rogam. audi nos.

Postulationes.

Vt spatium veræ Pœnitentiæ nobis dones: Te rog.

Vt cordis compunctionem, fontéque lacrymarum nobis dones: Te rogamus.

Vt indulgentiam & remissionem peccatorum nobis dones: Te rogam.

Vt perseuerantiam in bonis operibus nobis dones; Te rogam.

Vt S. Ecclesiam Catholicam regere & conseruare digneris. Te rogamus audi nos.

Vt dominum Apostolicum, & omnem gradum Ecclesiasticum in sancta religione conseruare digneris: Te rog.

Vt Antistitem nostrum, & omnem plebem illi commissam, in tuo sancto seruitio conseruare digneris: Te rog. audi nos.

Vt Regibus atque Principibus nostris, & omnibus Christianis Pacem atque Concordiam largiri digneris: Te rogamus.

Vt ciuitatem istam regere & defendere digneris: Te rogamus,

Vt Fructus terræ dare & conseruare digneris: Te rog.

Vt miserias Pauperum & Captiuorum intueri & releuare digneris: Te rogam. audi nos.

Vt Nauigantibus iter prosperum & salutis portum tribuere digneris: Te rogamus.

Vt Errantes in viam salutis reducere digneris: Te rogam.

Vt infirmis sanitatem tribuere digneris: Te rog.

Vt cunctum populum Christianũ pretioso sanguine tuo redemptum, conseruare digneris. Te rog.

Vt nobis morientibus succurrere digneris: Te rogam.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuere digneris: Te rog. audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris:

Te rogamus audi nos.

Vt nos exaudire digneris: Te rog.

Fili Dei: Te rogamus audi nos.

Agne Dei qui tollis peccata mundi: Parce nobis Domine.

Agne Dei, qui tollis peccata mundi: Exaudi nos Domine.

Agne Dei, qui tollis peccata mundi: Miserere nobis.

Christe audi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

PRECATIONES XXIV.

ET MEDITATIONES PRO *gaudio cælesti, & vita æterna.*

D. AVGVST. ADMONITIO.

Lib. Medit altero c. 18.

E*Xultemus, & erigamus totum intellectum nostrum: & cogitemus, quale & quantum electorum sit vnicũ & singulare gaudium. Illud scilicet summum bonum, quod vita, lux, beatitudo, sapientia & æternitas. Si singula bona delectabilia sunt: cogita mente, quã delectabile sit illud bonũ,*

quod continet iucunditatem omnium bonorum: non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantò differt Creator à creatura. Si enim bona vita creata: quàm bona vita creatrix? Si iucunda est Salus facta: quàm iucunda est Salus quæ fecit Salutem? Si amabilis est sapientia cũ cognitione rerum conditarum: quàm amabilis est Sapientia, quæ condidit omnia ex nihilo? Denique si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus: qualis & quanta est delectatio in illo qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fruetur: quid illi erit, & quid illi non erit? Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Cur ergo per multa vagamur, quærendo bona corporis & animæ nostræ? Amemus vnum Bonum, in quo sunt omnia bona: & sufficit.

MEDITATIO, QVA AD RE-
rum cœlestium desiderium temetipsum excites.

O Deus meus. O dulcis vita animæ meæ. O vera Salus mea: O

vnicum & æternum Bonum meum: Bonum ſummum & incõmutabile. Quid volo, quid quæro præter te? Nõne habeo omnia, ſi te habeo, qui creaſti omnia? Nihil vſquam charũ eſt, quod tu non feceris. Ecce pulchritudo beatorũ Angelorum, pulchritudo ſanctarum Animarum, pulchritudo corporum humanorum, pulchritudo animalium brutorum, pulchritudo Cœlorum, Syderum, Solis, Lunæ, ignis, aeris, maris, terræ, plantarum, florum, gemmarum, metallorum, & colorum omnium: ſuauitaſque ſonorum, odorum ac ſaporum delectantium, abs te eſt. Quicquid decoris, gratiæ, amœnitatis, elegãtiæ, dulcedinis, virtutis, dignitatis & opulentiæ eſt in creaturis, hoc totum abs te profluxit: hoc totum in te abundantiſſimè, excellentiſſimè, immarceſſibiliterque conſiſtit. Verè tu es ſummè pulcher, ſummè delicioſus, ſummè amabilis, & ſummè deſiderabilis. Tu exuberantiſſimè in te contines omnem venuſtatem, atque iucunditatem ſemper vernãtem atque florentem, quæ tantò præſtan-

tior est illa, quàm in rebus creatis cernere aut experiri possunt homines, quantò tu creator præstantior es quacunq; creatura tua. Tu omniũ quæ delectabilia esse queunt, super effluens es plenitudo, tu puræ lætitiæ sanctæq; voluptatis pelagus immẽsum. Tu lux indicibiliter serena, lux fulgida, lux decora, lux æterna & incircũscripta. O qui tibi etiam in præsenti exilio per eximiam cordis mũditiam intimius vniuntur, quid vident, quid audiunt, quid olfaciunt, gustant, quid sentiunt? Hoc nulla lingua exprimere potest. Amorosi amplexus & delicata oscula, quibus mater tenello nato suo, vel sponsus dilectæ sponsæ suæ blanditur, non sunt nisi per modica quædam & tenuis vmbra illorum amplexuum atque osculorum, quibus animam te castè amantem afficis. Quod si tam beati sunt, & tam inexplicabilia percipiunt pauperes exules, qui te nõ nisi per speculum in ænigmate hic vident: quàm beatos esse, & quàm ineffabilia percipere credere debem⁹, gloriosos atq; inclytos ciues regni

tui, qui te vident, ſicuti es: qui melliſluam faciem tuam clariſſimè contemplantur: qui abyſſo perennium deliciarum fœliciter immerſi, tibi perfectiſſimè vniuntur. Ipſi chariſſimi filij tui iam manifeſtè cognoſcunt, atq; in ſe penitus ſentiunt, quãtum tu Pater ſuauiſſime eos diligas, & ab æterno dilexeris. Tu omnibus illis placidiſſimè præſides: omnes lumine claritatis tuæ iucundiſſimè illuſtras: omniũ affectus incomprehenſibili charitatis dulcore pariter atque ardore in te trahis: omnes delitioſiſſima tui fruitione tranquillas, lætificas, reficis & ſatias. Deniq; tu in illa ſuperna Hieruſalem, Deus ſempiternus, omnia es in omnibus. O pręclarum diem illum, diem vnũ, diem æternum, ſolum verum diem, de quo tu Domine IESV ſic locutus es electis tuis: In illo die cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. O diem votis ardentibus expetẽdum: in quo animæ ſanctæ tibi vnitæ, & inenarrabili luce ſapientiæ perfuſæ, transformantur in claritatem ſempiter-

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

nę gloriæ. Concede obsecro mi Iesu, vt quandiu in huius peregrinationis tenebris versor, oculos mentis ad illius diei fulgentissimum rutilantissimumque lumen apertos habeam, tibique Deo meo placeam. Amen.

D. AVGVSTINI DESIDErium & Precatio pro gaudio cœlesti & vita æterna.

Soliloq. c. 35 *Psal. 41*

QVemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem tuam? O fons vitæ, vena aquarum viuētium: quando veniam ad aquas dulcedinis tuę, de terra deserta, inuia & inaquosa: vt videam virtutem tuā & gloriam tuām? Quādo veniam & apparebo ante faciem tuam? O dies præclara & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum: in qua audiam vocem laudis, vocem exultationis & confessionis: in qua audiam: Intra in gaudium Domini tui: vbi erit summa & certa se-

Psal. 62 *Psal. 42.* *Psal. 117* *Matt. 2.*

curitas, secura tranquillitas, trãquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis Vnitas, & Vnitatis Deitatis, & Deitas beata visio: quæ est gaudium Domini Dei mei. O gaudiũ super gaudiũ, gaudiũ vincens: omne gaudium, extra quod non est gaudium: quando intrabo in te? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Veni Domine IESV Christe: & noli tardare: veni, visita nos in pace, vt lætemur coram te corde perfecto. Veni desideratus cunctis gentibus: ostende faciem tuam, & salui erimus. Veni lux mea, Redemptor meus: educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Quamdiu miser iactabor his fluctibus mortalitatis meæ clamans ad te Domine, & nos exaudies? Audi clamantem de hoc mari magno: & adduc me ad portum fœlicitatis æternæ. O regnum æternũ. Regnum omnium sæculorum: vbi lumen indeficiens: in quo Sanctorum Animæ requiescunt, & lætitia sempiterna super capita eorum.

Psal. 165.

Psal. 79

Psal. 141

Psal. 144.

O quàm gloriosum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti amicti lumine sicut vestimē-to, vbi tu Domine spes Sanctorum, & Diadema gloriæ, lætificans eos vndique in pace tua: quæ exuperat omnem sensum. Spes humani generis IESV Christe: Deus de Deo, Refugium nostrum & Virtus: vt ad te dirigamur, guberna nauem nostram tua dextera, clauo Crucis tuæ ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum. En ad te clamamus redempti tui, sed & nūc exules tui: quos pretioso sāguine redemisti. Exaudi nos De⁹ salutaris noster: spes omnium finium terræ, & in mari longè. Saluos nos fac propter nomē tuum. Amen.

Esa. 51. Phil. 4. Psal. 45. Psal. 68. Psal. 64.

ALIA D. GREGORII PP.

Extat in fine Commentar. in 7. Psalmos Pœnitent.

BOne IESV, verbum Patris, splē-dor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere: doce me facere voluntatem tuam: vt à Spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam ciuitatem perueniam: vbi est

Heb. 1. 1. Pet. 1. Psal. 142.

dies æterna, & vnus omniũ ſpiritus: vbi eſt certa ſecuritas, ac ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla fœlicitas, & fœlix ſuauitas, & ſuauis iucunditas: vbi tu Deus cum Patre & S. ſancto, viuis & regnas per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

PSALMVS LXXXIII.

Habet ardentiſſimum pij hominis deſiderium, cupientis ex huius vitæ miſerijs commigrare in cœleſtem Dei domum, in æterna illa tabernacula perpetuoq; Deum celebrare: in cuius præſentiæ contemplatione & laude, vera hominis conſiſtit fœlicitas.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutũ: cõcupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultauerunt: in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutũ: Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascéſiones in corde ſuo diſpoſuit: in valle lacrymarum, in loco quêm poſuit.

Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutē: videbitur Deus deorum in Sion:

Domine Deus virtutum exaudi orationem meā: auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

Domine virtutum: beatus homo qui ſperat in te.

D. AVGVSTINI
Meditatio.

Medit. c. 25

MAter HIERVSALEM, Ciuitas ſancta Dei, chariſſima

Spõsa Christi, te amat cor meũ: pulchritudinẽ tuã nimiũ desiderat mẽs mea. Fœlix anima mea semperq; fęlix in sęcula, si intueri meruero gloriã tuã, beatitudinẽ tuam, pulchritudinem tuã, portas & muros tuos, & plateas tuas, & mansiones tuas multas, nobilissimos ciues tuos, & fortissimũ Regẽ tuũ Dominũ nostrum, in decore suo. Muri namq; tui ex lapidibus pretiosis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro purissimo: in quibus iucundũ Alleluia sine intermissione concinitur. Speciosa facta es, & suauis in delitijs tuis mater Hierusalẽ. Nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac miseria vita cernimus. Non sunt in te tenebræ, aut nox: aut quælibet diuersitas temporũ. Nõ lucet in te lux lucernæ, aut splẽdor lunę, vel iubar stellarũ: sed De⁹ de Deo, lux de luce, Sol iustitię sẽper illuminat te: Agn⁹ cãdidus & immaculatus lucidum & pulcherrimũ est lumẽ tuũ. Sol tuus, & claritas tua, & omne bonũ tuũ huius pulcherrimi Regis indeficiẽs cõ-

tem-

templatio. Ipse Rex regum in medio tui: & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Angelorum chori: ibi societas supernorum ciuium. Ibi dulcis solennitas omnium ab hac tristi peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi prophetarum prouidus Chorus, ibi duodenus Apostolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi sanctorum Confessorum sacer conuẽtus: ibi sanctæ mulieres, quæ voluptates sæculi & sexus infirmitatem vicerunt, ibi pueri & puellæ, qui annos suos sãctis morib. trãscẽderũt: ibi sunt oues & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaserunt: exultant omnes in proprijs mãsionibus. Dispar est gloria singulorum: sed communis est lætitia omnium. Plena & perfecta ibi regnat Charitas: quia Deus Charitas, est ibi omnia in omnibus: quem sine fine vident, & semper videndo in eius amore ardent, amant & laudant, laudant & amant. Omne opus eorum, laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Fœlix ego, & verè in perpetuum fœ-

1. Ioan 4.
1. Cor. 15.

lix,

lix, si post resolutionem huius corpusculi audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis supernæ Patriæ ciuibus, beatorumq; Spirituum agminibus. Fortunatus ego, nimiumq; beatus, si & ego ipse meruero cantare ea, & assistere Regi meo, Deo meo, & Duci meo: & cernere eũ in gloria sua, sicut ipse polliceri dignatus est, dicens: Pater, volo vt quos dedisti mihi, sint mecum, vt videant claritatem meam, quam habui apud te, ante mundi constitutionem. Et alibi: Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Et iterum: Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Ioan. 17

Ioan. 12. 14

DESCRIPTIO REGNI COELE-
stis seu vitæ æternæ sicut ostendit Dominus seruo suo Ioanni.

EGo Ioannes vidi sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam, de throno dicentem:

Apoc 21. & 22.

centem: Ecce tabernaculum Dei, cũ hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit: neque luctus, neque dolor erit vltra: quæ prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mihi: Factũ est, ego sum alpha & omega: initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus: & ille erit mihi filius. Timidis autem & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardẽti igne & sulfure: quod est mors secunda. Et venit vnus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis nouissimis, & locutus est mecum, dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum: & ostendit

mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo à DEO, habẽtem claritatem Dei: & lumen eius simile lapidi pretioso, tanquã lapidi Iaspidis, sicut crystallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos 12. & nomina inscripta, quę sunt nomina 12. tribuum Israel. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim: & in ipsis 12. nomina, 12. Apostolorum Agni. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioso ornata, & 12. portæ: duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurũ mundũ, tanquã vitrũ perlucidũ. Et templum non vidi in ea. Dominus enim omnipotens templum illius est & Agnus. Et Ciuitas non eget Sole neque Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferẽt gloriam suam & honorem in illam. Et portæ eius nõ claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et afferent

gloriam & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium: nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Et ostendit mihi fluuium Aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Et folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius: & sedes Dei & Agni in illa erunt: & serui eius seruient illi. Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. Et nox vltra non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos: & regnabunt in sæcula sæculorum, Amen.

Ad hunc modum, Regnum cœleste, eiusq; maiestatem, amplitudinem, amœnitatem, pulchritudinē, & verbis inexplicabilem splendorem & gloriā, typo sanctæ & nouæ Ciuitatis Hierusalem, & pretiosissimarum margari-

tarum, auriq; mundißimi: item Aquæ viuæ, & Ligni vitæ metaphoris, S. Ioannes Apostolus eleganter depinxit: in quod Ecclesia, Christi Sponsa charißima, id est, hominum innumerabilis multitudo, qui ab orbis terræ finibus, atque ex omnibus regionibus in hac vita, ad Christum conuersi, Fidem per Charitatem operãtem, Victricem peccati, mortis & diaboli, vsque ad vitæ finem constanter tenuerunt: ac demũ ab omni miseria liberati, tanquam Sponsa in thalamum introducti, exultant iugiter in cõspectu Dei, & delectantur in lætitia.

Psal. 67.

Huius itaque Descriptionis meditatione & contemplatione nosmet oblectemus sicque vitam instituamus, vt postea renouatis & glorificatis corporibus puri & mundi, æternæ vitæ hæreditatem adipiscamur: insonante Iesu Christi dulcißima voce: Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Matt. 25.

ECCLESIA.

O Quàm gloriosum est Regnũ, in quo cum Christo gaudent

omnes Sancti: amicti stolis albis sequuntur Agnum, quocunq; ierit.

D. AVGVSTINVS.

Medit. c. 22

O Tu Vita fœlicissima: ô Regnũ verè beatum, carẽs morte, vacans fine: cui nulla tempora succedunt per æuum: vbi continuus sine nocte dies nescit habere tempus: vbi victor miles illis hymnidicis Angelorum sociatus choris, cãtat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion: Nobile perpetua caput amplectente Corona.

CONCLVSIO EX VENERAB. Beda.

De Temporum ratione ca. 49.

ET hæc est octaua illa ætas sẽper amanda, sperãda, suspirãda, fidelibus: quãdo eorũ animas Christus incorruptibilium corporum munere donatas, ad perceptionem Regni Cœlestis, contemplationemque Diuinæ suæ Maiestatis inducet: non auferens Gloriam, quam exutæ corporibus, à suæ quæque egreßionis tẽpore beata in requie perceperant: sed maiore illas Gloria, etiam corporum redditorum, accumulans: in cuius continuatæ & non interruptæ Beatitudinis typum Moses, cum sex illos dies primos, quibus factus est mundus à

Gen. 1.

luce & mane inchoatos, ad vesperum terminatos dixisset: in septimo, quo requieuit Deus ab operibus suis, solius mane, non autem & vesperæ, fecit mentionem. Sed cuncta, quæ de eo commemoranda putauit æternæ Requiei & Benedictionis Luce conclusit, Quia cunctæ huius sæculi ætatis sex, in quib⁹ iusti, Domino cooperante, bonis operibus insistunt, ita sunt superna ordinatione dispositæ, vt in primordijs suis singulæ aliquid lætarum rerum habentes non paruis ærumnarum tenebris pressurarumque consummentur: Requies verò animarum: quam pro bonis in futuro sæculo percipiunt, nulla vnquam curæ alicuius anxietate turbata deficiet: Sed vbi tempus iudicij & & Resurrectionis aduenerit, gloriosiore perpetuæ Beatitudinis perfectione cõplebitur: vbi quo actu occupētur Sācti, perfecta spirit⁹ & carnis immortalitate renouati, testatur Psalmista qui Deo per laudē amoris canit: Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæculum sæculi laudabunt te.

Psal. 83.

Quo visu delectentur, idem consequenter exponit: Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit: ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Quales ad hanc venire poßint, ipse qui est Via, Veritas & Vita testatur Dominus: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Ioan. 14.
Matt. 5.

Ergo noster libellus opportunum de æterna stabilitate, ac stabili æternitate, habeat finem.

Quem

Quem rogo si qui Lectione dignum rati fuerint: me suis in precibus Domino commendent, piaque apud Deum & proximos, quantum valent, agant industria, vt post temporales cælestium actionum sudores, æternam cuncti cælestium, præmiorum mereamur accipere palmam.

FINIS.

C. C. K. R.
M. O. C.
&. V.
Cr.

PSALMVS CXLIIII.

PRopè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos.

INDEX EORVM, QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR.

IX.

Hym-

XV.

Oratio-

S.Cypriani

FINIS.

Cathena
aurea
Precationum